MANUALE EXORCISMORUM ET BENEDICTIONUM SELECTIORUM

PRO

EXORCISTARUM, Parochorum & aliorum quorumvis Curatorum commodiori usu collectorum.

Cum facultate Superiorum.

Typis EINSIDLENSIBUS, Per Nicolaum Wagenmañ, & Josephum Reymann. Anno 1671.

AD LECTOREM.

Collecti sunt hi Exorcismi & Benedictiones pro commodiori usu, ut, cùm quilibet Exorcista, Parochus, vel Curatus non possit habere majores libros Exorcismorum, aut Benedictionum in parato, saltem his uti valeat. Ne autem de Approbatione dubites, Exorcismo cuilibet præpositum est, de quo approbato libro sumptus fit. Vale.

EX-

EXORCISMUS PRIMUS ex Flagello dæmonum.

Auctore R. P. F. HIERONYMO MENgo Vitellianensi Ordinis Minorum Regularis Observantiæ.

Exorcista cupiens cum Dei adjutorio maleficiatos, & facturatos à dæmonibus, & maleficijs curare, priùs debet perquirere omnia instrumenta malefici alia omni diligentiâ quâ poterit, & inventa igne benedicto illa comburere. Postea indutus stolâ, & cottâ, pergens ad Ecclesiam unà cum infirmo, & stans ante Altare, positâ manu super caput maleficiati, & illum signo Crucis muniens, voce intelligibili, maximâ cum devotione dicat.

SIGNUM Crucis † sit in fronte meâ. Verba Christi † sint in ore meo. Arma Christi † sint in pectore meo. Per signum Crucis † de inimicis nostris libera nos Deus noster. Potentia Pa†tris confirma me. Sapientia Fi†lij doce me. Amor Spiritûs † Sancti illumina me. Benedicta sit dies, & hora, in quâ Dominus noster Iesus Christus natus est de Virgine Mariâ. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † sancti, Amen. Nos cum prole pia, benedicat virgo Maria.

Postea signa obsessum in fronte, in ore, & in pectore dicendo.

POtentia Pa†tris conforta eum. Sapientia Fi†lij doce eum. Amor Spiritûs † sancti illumina eum. Benedicta sit dies, & hora, in quâ Dominus noster IESUS Christus natus est de Virgine Mariâ. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † sancti, Amen. *Postea dic:* Confiteor Deo omnipotenti, *totum: & fac absolutionem super infirmum, & assistentes dicendo:* Misereatur

tur vestri, &c. Indulgentiam, & absolutionem. *Deinde lege sequentia præcepta.*

PRæcipio vobis dæmones, qui venistis in adjutorium istorum dæmonum vexantium hanc creaturam Dei N. ex parte sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Et sub pœnâ immersionis in stagnum ignis, & sulphuris per manus inimicorum vestrorum, & sub pœnâ tradendi vos in potestatem inimicorum vestrorum, ac condemnandi vos in stagnũ ignis, & sulphuris per annos mille, quatenus nullum adjutorium, vel favorem detis istis dæmonibus, qui vexant hoc corpus istius creaturæ Dei N. sed discedatis statim, & eatis ad loca vobis deputata à Deo. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Iuda radix David. Præcipio vobis etiam dæmones, qui vexatis hanc creaturam Dei N. quòd exeuntes ab eâ, dimittatis, & relinquatis eam liberam, & sanam, absque ullâ læsione animæ, & corporis, ut possit servire Deo creatori suo. Etiam præcipio om-

nibus inimicis vestris, in nomine sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, ut cogant vos obedire mandatis, & præceptis meis. Et sub eisdem pœnis præcipio vobis, ut nihil dicatis, vel faciatis, quod præsentibus, vel absentibus displiceat; nisi quantum fuerit interrogatum à me. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Postea ligando stolam ad collum obsessi cum tribus nodis dic.

O Vos omnes abominabiles, & rebelles Dei conjuro vos spiritus, adjuro, voco, constringo, evoco, contendo, & conteſtor, ubicunque sitis in homine isto, per Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † Sanctum, & per potentissimum nomen Dei Heloy forte, & admirabile, exorcizo te, & adjuro vos spiritus, ac impero vobis auctoritate, quâ fungor, per virtutem Dei, & sapientissimi Creatoris, qui cuncta creavit, tenens vos in suâ potestate, à quâ fugere non poteſtis,

testis, ut in continenti verba conjurationis meæ intelligatis, & virtutem: & sentiatis vos victos ex præcepto vobis facto, nunc ab istâ creaturâ Dei, & imagine Christi non audeatis recedere absque licentiâ mei præcepti, & sic sitis ligati, & incatenati, sicut sancti Dei ligaverunt dæmones cum catenis, ita cum istâ stolâ jucunditatis ego vos ligo. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Deinde positis manibus super caput vexati, dicas.

EXtinguatur in te N. omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum: imò per invocationem omnium sanctorum Archangelorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium simul Sanctorum, Amen.

Deinde dic sequentia verba, signando obsessum in fronte: quod servabis, quotiescunque inveneris aliquam crucem, nisi aliter tibi assignatum fuerit.

Hel † Heloym † Heloa † Eheye † Thetragrammaton † Adonay † Saday † Sabaoth † Sother † Emanuel † Alpha, & Omega † Primus, & Novissimus, † Principium & Finis † Agyos † Yschiros † Otheos † Athanatos † Agla † Jehovah † Homousion, † Ya, † Messias, † Esereheye † Christus vincit † Christus regnat † Christus imperat † Increatus Pater † Increatus Filius † Increatus Spiritus Sanctus † per signum Crucis de inimicis nostris libera Deus noster.

Sacerdos dicturus aliquod infrascriptorum Evangeliorum, semper debet ponere manus suas super caput vexati.

Initium S. Evangelij secundùm Ioannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat:

rat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre ple-

num gratiæ, & veritatis. ℟. Laus tibi Christe. *Deinde subjungat Exorcista.* Per Evangelica dicta exinguatur in te N. omnis virtus diabolica, & infundatur virtus divina, Amen.

Quod servandum est in fine cujuslibet Evangelij.

Credo in Deum. *totum. Postea dic.* Ecce Crucem Domini nostri Iesu Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda radix David.

℣ Sequentia S. Evangelij secundùm Ioannem.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbijs locutus sum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbijs loquar vobis, sed palàm de patre meo annunciabo vobis. Illo die in nomine meo petetis, &

non

non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amâstis, & credidistis, quia à Deo exivi. Exivi à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei discipuli ejus. Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis, nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi.

ECce Crucem † Domini nostri IESU Christi, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda radix David, Alleluja.

Postea dicas Psalmum. Miserere mei Deus. *totum.* Ecce Crucem Domini, † &c. *Deinde dic Psalmum.*

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur, & revereantur: qui quærunt animam meam. Avertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala. Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, euge, euge. Exultent, &

lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego verò egenus, & pauper sum: Deus adjuva me. Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris; Gloria patri, &c. *Deinde.* Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea dic sequentes Litanias genuflexus.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere ei.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere ei.
Spiritus sancte Deus, Miserere ei.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere ei.
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.

Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, orate.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ, Orate.

Om-

Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes ſancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Placide cum ſocijs tuis, orate.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate.
Sancti Ioannes & Paule, orate.
Sancti Coſma & Damiane, orate.
Sancti Gervaſi & Protaſi, orate.
Omnes ſancti Martyres, orate,
Sancte Silveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate.
Omnes ſancti Doctores, orate.
Sancte Pater Benedicte, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Maure, ora.

Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes ſancti Monachi & Eremitę, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.
Sancta Scholaſtica, ora.
Omnns ſanctæ Virgines & Viduæ, orate,
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro eo.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, Exaudinos Domine.
Ab omni malo, Libera eum Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab irâ tuâ, libera.
A ſubitaneâ & improviſâ morte, libera.
Ab inſidijs diaboli, libera.
Ab irâ, & odio, & omni malâ voluntate, libera.

A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempestate, libera.
A morte perpetuâ, libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per adventum tuum, libera.
Per nativitaem tuam, libera.
Per baptismum, & sanctũ jejuniũ tuũ, lib.
Per crucem & passionem tuam, libera.
Per mortem & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam rẽsurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, lib.
Per adventum Spiritûs sancti Paraclíti. lib.
In die judicij, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus.
Ut nobis indulgeas, te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducet digneris, te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris, te rogamus.
Ut domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sanctâ religionẽ conservare digneris, te rogamus.

Ut

Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus.

Ut regibus,& principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.

Ut cuncto populo Chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.

Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris, te rogamus.

Ut mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas, te rogamus audi nos.

Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rogamus.

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æternâ damnatione eripias, te rogamus audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſervare digneris, te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos.

Ut hunc famulum tuum N. benedicere, & liberare digneris, te rogamus audi nos.

Ut hunc famulum tuum N. à vexatione diaboli eripere digneris, te rogamus audi nos.

Ut hunc famulum tuum N. ab infestationibus dæmonum liberes, te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Ecce crucem ✝ Domini, &c.

Et sequitur ista oratio.

DOmine Iesu Christe, qui pro redemptione mundi voluisti à Iudæis reprobari, à Iudâ proditore osculo tradi, & à perfidis vinculis alligari; & sicut agnus man-

manſuetus ad victimam duci, atque in cõſpectu Pilati indecenter offerri; & à falſis teſtibus accuſari, clavis acutis perforari, flagellis, & opprobrijs vexari, conſpui, & ſpinis coronari, colaphis cædi, & in Cruce levari, inter latrones deputari, felle, & aceto potari, lanceâ vulnerari. Tu Domine Ieſu Chriſte per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus, & miſer peccator recolo, & per ſanctam Crucem tuam te deprecor, ut non reſpicias peccata mea, atque peccata iſtius creaturæ tuæ N. ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam libera eam à diabolo vexante. Et mihi indigno famulo tuo præbe virtutem, ut valeam expellere omnes dæmones eam vexantes in profundum abyſſi, per tua ſanctiſſima verba, Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen. Ecce Crucem † Domini &c. Crux bona, Crux digna, lignum ſuper omnia ligna. Per crucis † hoc ſignum, repellitur omne malignum. Ne mentem lædant, phantaſmata cuncta rece-

recedant. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit leo de tribu Iuda radix David. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Fiant aures tuæ intendentes; in vocem deprecationis meæ. Eſto mihi Domine turris fortitudinis, à facie omnium malignorum Spirituum. Pone eos Domine ut rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperij rex, & ſemper magnificus triumphator, qui adverſæ dominationis vires reprimis, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas, qui omnia per tuum verbum ex nihilo condidiſti, qui Luciferum, & ſuos ſequaces, tanquam ſuperbos & rebelles de cœlo empyreo expuliſti, qui in Filio tuo, ima ſummis reconciliâſti, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium, cui proprium eſt, miſereri ſemper, & par-

parcere, miſerere huic creaturæ tuæ. N. non ad ejus peccata, ſed ad tuam benignam clementiam aſpiciendo, & libera eam ab omnibus laqueis malignorum ſpirituum, quibus quotidie alligatur, & ab omni infeſtatione, & moleſtiâ ipſorum, quibus torquetur, ſicut liberâſti Mariam Magdalenam à ſeptem ſpiritibus immundis, & filiam Cananeæ à vexatione dæmonis, ſic ipſum N. nunc liberare digneris ab omnibus malignis ſpiritibus eum infeſtantibus, & ſicut liberâſti Ionam de ventre ceti, & Suſannam de falſo crimine, & David de gladio maligno, & de manibus Saul, & tres pueros de camino ignis ardentis, & Danielem de lacu leonum, & Iſaac de manu patris ſui, & Ioſeph de carcere Pharaonis, ita nunc tuâ clementiâ liberare digneris hanc creaturam tuam N. ſanguine Filij tui redemptam, & undâ baptiſmatis regeneratam, & ab omni vexatione malorum ſpirituum, & diabolorum. Et ſicut dediſti Apoſtolis tuis poteſtatem

ſuper

ſuper malignos ſpiritus, & virtutes eorum, ipſoſque fugandi à corporibus hominum, & curandi infirmos; ita nunc mihi indigno famulo tuo, undâ baptiſmatis regenerato, & tuo ſanctiſſimo nomine conſignato, concedere digneris donò tuæ gratiæ virtutem fugandi iſtos malignos ſpiritus ab hac creaturâ tuâ N. virtute tuâ, & invocatione tui ſanctiſſimi nominis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Ecce Crucem † Domini &c.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te ſupplices exoramus, ut imperes ſpiritibus iſtis, qui hunc famulum tuum N. detinent, ut ab eo recedant; & libera eum: quia credit in verum liberatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Ecce Crucem † Domini, &c.

Hic Sacerdos surgat ab oratione, & antequam incipiat adjurare dæmones, prius debet exorcizare obsessum hoc modo.

EXORCISMUS.

EXorcizo te N. in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu † Christi, filij ejus Domini nostri, & in virtute Spiritûs † sancti, ut fias vas mundũ, sanctum, & purgatum ab omni labe iniquitatis, & ab omnibus maleficijs, incantationibus, ligationibus, signaturis, & facturis; quæ omnia malefitia, incantationes, ligaturas, signaturas, & facturas in corpore, vel circa corpus tuum sunt facta; Ego N. servus Dei indignus, & peccator auctoritate mihi præfatâ, in nomine ejusdem Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu † Christi filij ejus Domini nostri, & in virtute Spiritûs † sancti dissolvo, & dissoluta esse concerno; & præcipio tibi maledicte diabole, ac socijs tuis, ut amplius non habeatis pote-

poteſtatem manendi in hoc corpore, à plantâ pedis uſque ad verticem, ſed ſtatim recedere debeatis cum omnibus maleficijs, & incantationibus veſtris Per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos & ſæculum per ignem, Amen.

ORATIO.

DEus miſericordiæ, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, quos diligis, corripis, & quos recipis, piè ad emendationem coerces, te invocamus, Domine, ut famulo tuo N. qui in corpore patitur membrorum debilitatem, gratiam tuam conferre digneris; ut quicquid terrenâ fragilitate corruptum, quicquid diabolicâ fraude violatum eſt, unitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymarum ejus, & non habentem fiduciam, niſi in miſericordiâ tuâ, ad tuæ ſacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et aſpergatur aqua benedicta ſuper obſeſſum.

EXORCISMUS.

EXorcizo te N. infirmum, ſed ſacroſancti baptiſmi undâ regeneratum, per Deum vivum, † per Deum verum, † per Deum ſanctum, † per Deum, qui te ſuo pretioſo ſanguine redemit, ut fias homo exorcizatus, ut effugiat, atque diſcedat à te omnis phantaſia, & nequitia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adjuratus. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, &c.

ORATIO.

DEus, qui facturæ tuæ ſemper pio dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum N. ex adverſâ valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita, & ſalutis tuæ, & cœleſtis gratiæ præſta ei medicinam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et aſpergatur aqua benedicta ſuper obſeſſum. Poſtea cum magnâ fide, & ſpe incipiat Exorciſta adjurare dæmones exiſtentes in corpore obſeſſo, dicens.

ADJURATIO.

AUdi immunde ſpiritus diabole; admoneo te, & exorcizo † te atque tibi præcipio tentator, vane, inſenſate, falſe, hæretice, vacue, inimice, ebrioſe, ſuſſurro, inſipiens, dejecte de gratiâ Dei, & Chriſti. Per ipſum te exorcizo, † qui propter nos in terram deſcendit, & qui ab Angelo fuit nominatus, & à Spiritu S. incarnatus, ex Virgine Mariâ natus, & crevit ætate, & ſapientiâ; in duodecimo anno venit in Templum, & edens in medio Doctorum, ſapienter interrogabat illos. Adjuro te † per illum, qui à Joanne Baptiſtâ in Jordano flumine baptizatus fuit, & à diabolo tentatus, vexundatus, & traditus à diſcipulo ſuo Judâ, captus, illuſus, flagellatus, cibatus fel e, potatus

tus aceto, vinctus, & ſpinis coronatus, veſtibus expoliatus, ſuper cujus veſtes ſortem miſerunt. Conjuro te † per illum, qui crucifixus, mortuus & ſepultus fuit, & tertiâ die reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem, ut ſtatim exeas, & fugias de vaſe iſto, & plaſmate Dei; & nec me, neque aſtantes offendas, & ſine læſione ipſius. Exorcizo te † per ipſum, quem Gabriel Angelus nunciavit in utero B. Mariæ Virg. venturum, & Elſabeth Ioannes ſalutavit, & per ipſum te conjuro, ut de quacunque re te interrogavero, dicas, & indices mihi verum, quomodo vocatur magiſter tuus, & quomodo vocaris; & ſi in corpore iſto es, vel extra corpus, aut ſi ſolus es, vel legio tecum, vel plures legiones.

Hîc Exorciſta interrogare poterit, quod eſt nomen dæmonis obſidentis: quot ſocios habeat: quomodo vocatur magiſter ejus: ſub quâ poteſtate dæmonum ſit: quâ de causâ opprimit obſeſſum: ſi

aliquo maleficio ſit ibi ligatus: quomodo illud poſſit ſolvi: quantum tempus ibi habitavit: per quem Sanctum debet exire: per quam perſonam: deinde qui magis ſint ſui inimici in cœlo, & qui in inferno: quod ſignum dabit in exitu ſuo. Poſtea præcipe illi: ut non noceat patienti, & quòd de cætero non audeat reverti ad eum, neque inducat malum tempus. Sed eſto prudens, & circumſpectus in interrogationibus, ne decipiaris. Magis enim ſtude cum humilitate mentis, quæ ad hoc eſt neceſſaria, liberare creaturam Dei, quàm loqui cum dæmonibus. Demum factis interrogationibus, ſi non receſſerit, ſive reſponderit, ſive non, proſequere hanc conjurationem.

CONJURATIO.

TU ergo homicida, reprobe, fili perditionis, per ipſum te † conjuro, cujus ſignum apparuit in cœlis, quem paſtores viderunt, & Magi adoraverunt, quem Angeli, & Archangeli collaudant, ut ſtatim exeas de vaſe iſto, & plaſmate Chriſti: & pergas in profundum maris, vel in arbores ſteriles, vel ad loca deſerta, ubi non ſit habitatio Chriſtianorum: vel acceſſus

cessus hominum, & ubi te incendant fulgura de cœlo. S. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vera majestas Dei, coerceat te statim exire. Adjuro te † inique dæmon, per ipsum, cujus nomen est Iesus Nazarenus, ut foras exeas audito verbo Domini ab hoc famulo Dei. Per ipsum te conjuro, † cujus ortum S. Angeli collaudantes cantaverunt dicentes. Gloria in excelsis Deo. Magi ab Oriente venientes, aurum, thus, & myrrham offerentes adoraverunt, sicut prædictum erat. Conjuro te † per ipsum, in cujus ortu stella de cœlo apparuit, sicut Balaam prophetizavit, dicens: Orietur stella ex Iacob. Et per ipsum, quem animalia muta cognoverunt; sicut scriptum est. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Conjuro te † per ipsum, quem Herodes interficere voluit, & non potuit; pro quo sancti Martyres Innocentes interfecti sunt, de quorum sanguine ornata est sancta Hierusalem in cœlo. Per illum te adjuro, † qui cum ma-

tre ſuâ in Ægyptum fugit: & qui in Canâ Galilææ aquam convertit in vinum, quem Pilatus ſpineâ coronâ coronavit & crucifixit, quem Longinus lanceâ transfixit; & qui in Cruce clamavit Hely Hely Lamazabatani. Conjuro te † per ipſum, qui in templo inventus eſt in medio Doctorum: in Cruce in medio latronũ & in medio aeris: & poſt reſurrectionem ſtetit in medio diſcipulorum, dicens, Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Adjuro te † per ipſum, qui mortuus fuit, & ſepultus: qui ad inferna deſcendit, & ſuos à diabolo detentos extraxit: & primum hominem liberavit: & tertiâ die reſurrexit: & poſt quadraginta dies ad cœlos aſcendit. Ipſe te ejiciat, & exire coerceat de corpore, & de compaginibus membrorum iſtius creaturæ Dei N. qui te ejecit de ſtatu cœli: ille te coerceat indicare mihi nomen magiſtri tui, & ſi tu es ſolus, vel aliqua legio tecum. Adjuro te † per illum, qui condidit paradiſum, à quo excuſſit quatuor flumina, ſcilicet Gyon, Phy-

Phyſon, Tigrim, & Eufraten, & quē tentare voluiſti dicendo: Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant, & iterum: Si Filius Dei es, mitte te deorſum: & oſtendendo ei omnia regna mundi dixiſti: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Per ipſum te † conjuro, qui locutus eſt ad te dicens. Vade Satana, non tentabis Dominum Deum tuum, ſed ipſum adorabis, & illi ſoli ſervies.

CONJURATIO.

O Inique dæmon, & ſerpens antique, conjuro te † per nomen Dei ſanctiſſimum, magnum, & fortiſſimum, quod explicare nequeunt omnes linguæ viventium, nec mens, nec ſenſus hominum, quod eſt Tetragrammaton. Adjuro te † dæmon per nomen Dei Alpha & Omega, Ieſu noſtra redemptio: vita, & reſurrectio; ſalus noſtra, defenſio, & criminum remiſſio. Adjuro te † dæmon per nomen Dei Adonay, quod eſt magnum, & admirabile, Creator ineffabilis, Filius Dei admirabilis, via infatigabilis:

bilis: ſpiritus inviſibilis: ſplendor inextinguibilis: trinus inſeparabilis: unus inviſibilis, ut per hæc ſancta nomina tu dæmon exeas foras ſtatim abſque ullâ offenſione, & terrore plaſmatis Dei, & ſine læſione alicujus perſonæ: & nullum ſignum in eâ dimittas. Adjuro te † dæmon per Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & per ſpiritualem unctionem illius, qui eſt trinus, & unus Deus. Iterum conjuro te † dæmon per illam, quæ Chriſtum lactavit, & in ſuo utero portavit illum, qui fecit eam: ut in hac creaturâ Dei N. ulteriùs morandi non habeas poteſtatem. Conjuro te † dæmon per S. Michaelem Archangelum, qui te de cælo ejecit per virtutem Dei, quando cum dracone pugnavit, & devicit eum: ut dimittas hunc locum, in quo nunc es, & vadas ad locum deſertum, vel in profundum abyſſi, ubi nemini nocere valeas. Conjuro te † dæmon per ſanctum Gabrielem Archangelum, qui nunciavit B. Mariæ Virgini

ad-

adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & incarnationem ejus, quando dixit. Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, ut audito verbo, feſtinanter recedas ſine terrore alicujus perſonæ ab hac creaturâ Dei N. Conjuro te † dæmon per S. Raphaelem, qui Tobiam, & Saram cuſtodivit, & à dæmonio eos liberavit; qui per virtutem Dei Aſmodæum dæmonem taliter ligavit, quòd nullo modo eis nocere potuit, ut ſtatim ab hac creaturâ Dei N. recedas, non rediturus; & ei nequaquâ deinceps nocere valeas. Conjuro te † dæmon per omnes ſanctos Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Cherubin, & Seraphin, qui quotidie non ceſſant clamare unâ voce dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

CONJURATIO.

ITerum conjuro te † maledicte dæmon per omnes orationes Patriacha-

rum, & merita Prophetarum, & ſuffragia Apoſtolorum, & victoriam Martyrum, & per fidem Confeſſorum, & deprecationes Virginum, & per interceſſionem omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, qui Deo placuerunt ab initio mundi, ut ſtatim ab hac creaturâ Dei N. exeas, & recedas. Iterum conjuro te † dæmon, per ſanctum Abel, qui inter Martyres fuit primus. Per ſanctum Enoch, qui ambulavit coram Deo, & translatus eſt de mundo. Et per ſanctum Noe, qui reſervatus eſt in diluvio propter juſtitiam. Per fidem Abrahæ, qui credidit Deo, & cui reputata eſt fides ad juſtitiam. Per ſanctum Iſaac, qui fuit obediens patri uſque ad mortem, qui fuit figura Domini noſtri Ieſu Chriſti oblati pro ſalute mundi. Et per fœlicem Iacob, qui vidit Angelum Domini venientem in adjutorium ſibi. Iterum conjuro te † dæmon per ſanctum Moyſen; cum quo locutus eſt Dominus facie ad faciem. Et per ſanctos Prophetas, Amos,

mos, Michæam, Oſeam, Iohelem, Abdiam, Abacuch, Ionam, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam, Eſdram, Ieremiam, Iſaiam, Ezechielem, David, & per omnes ſanctos alios Prophetas te conjuro, † ut de quacunque re te interrogavero, mihi puram veritatem dicas ſine morâ, & quicquid præcipiam, nullo modo recuſare valeas. Conjuro te † dæmon per Michæam Prophetam, qui dixit, quòd Dominus debeat naſci in Bethlehem, terra Iudâ, prophetizando hoc modo. Et tu Bethlehem, terra Iuda, non eris minima ex principibus Iuda; ex te enim egredietur dominator Iſrael; egreſſus enim ejus ab initio, & à diebus æternitatis. Conjuro te † per Sanctum Iohelem Prophetam; qui prædixit debere obſcurari Solem, & Lunam in paſſione, & mo te Chriſti dicens. Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem. Iterum conjuro te † per fœlicem Iacob, qui prophetavit de morte Chriſti dicens. In concili-

um eorum non veniat anima mea & in cœtu eorum non ſit gloria mea, quia furore ſuo occiderunt virum. Conjuro te † per Sanctum Zachariam Prophetam, qui prophetavit de tentatione Chriſti dicens. Vidi Ieſum Sacerdotem magnum, & Sathan ſtabat à dextris ejus & dixit. Increpet in te Dominus, diabole, qui elegit Hieruſalem. Conjuro te † per Sanctum David Prophetam, qui dixit, quòd Chriſtus prodendus erat à diſcipulo ſuo Judâ hoc modo. Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem. Iterum conjuro te † per ſanctum Zachariam, qui prophetavit, quòd Chriſtus erat vendendus, dicens. Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli. Conjuro te † dæmon per beatum Iſaiam Prophetam, qui propheravit, quòd Chriſtus erat venturus dicens. Veni Domine, noli tardare, relaxa facinora plebi

bi tuæ Iſrael. Et iterum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Iterum conjuro te † per beatum Eſaiam, qui prophetavit, dicens. Veniet rex tuus Syon humilis, & reſtaurabit te. Conjuro te † per ſanctum Abacuch Prophetam, qui per Angelum Domini deportatus fuit de regno ad regnũ uſque Babylonem & poſitus fuit ſuper lacum leonum, ubi erat Daniel. Iterum conjuro te † per Sanctum Ionam Prophetam, qui per tres dies in ventre Ceti manſit vivus, & poſtea in Nive civitate magnâ permanſit, & prædicavit. Iterum conjuro te † per beatum Heliam Prophetam, qui levatus fuit in curru igneo uſque ad cælum, qui oravit, ut non plueret ſuper terram per annos tres, & menſes ſex; & iterum oravit, ut pluer et, & pluit, & terra dedit fructum ſuum. Iterum conjuro te † per Sanctum David Prophetam, quem Deus regem elegit, & de poſt fætantes accepit eum. Iterum conjuro te † per electum

Dan-

Danielem, qui ſomnia Regis explicavit, & Bel interfecit, & de lacu leonum liberatus eſt. Conjuro te † per Sanctum Malachiam Prophetam, qui prophetavit de adventu Chriſti ad judicium hoc modo. Ego accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniant mercedem mercenarij, & humiliant viduam, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, & tu maledicte damnate ex illis es. Conjuro te † per tres pueros de camino ignis ardentis liberatos, ſcilicet Sidrac, Miſac, & Abdenago. Et per Sanctum Ioannem Baptiſtam, quo nemo major inter natos mulierum ſurrexit. Conjuro te † dæmon per duodecim Apoſtolos Domini noſtri Ieſu Chriſti; & per omnes ſanctos ſuos diſcipulos; & per beatum Petrum principem Apoſtolorum, ut de hoc famulo Dei N. ſtatim exire debeas, & omnia membra ſui corporis ſana dimittas, ſicut inveniſti, quando priùs in eum intrâſti; & de quacun-

cunque re interrogatus fueris per me, ſtatim veritatem dicere feſtines ſine aliquâ dubitatione, & te manifeſtare mihi in omnibus interrogationibus; deinde per merita Sanctorum, & Sanctarum Dei ad præceptum meum ab hoc famulo Dei penitus, & ſine morâ recedas; nullum ei dolorem inferendo, nec aliquod nocumentum ei faciendo, nec alicui perſonæ, ſed ſine terrore vadas in profundum abyſſi, non rediturus uſque in diem judicij. Amen. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit leo de tribu Iuda radix David.

Hîc interrogat de exitu, ſicut ſupradictum eſt; poſtea ſequere hoc modo.

ADjuro te † ſerpens antique per judicem vivorum, & mortuorum; per eum, qui habet poteſtatem mittere te in gehennam, ût ab hoc famulo Dei N. qui ad Eccleſiæ ſuæ currit præſidium, feſtinus diſcedas. Adjuro te † non per meam infir-

infirmitatem, ſed per virtutem Spiritûs Sancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Cede, cede non mihi, ſed miniſtro Chriſti. Illius enim te urgeat poteſtas, † qui te (affixus Cruci) ſuo ſubjugavit imperio. Illius brachium † contremiſce, qui de cunctis gemitibus inferni animas juſtorum ad lucem perduxit. Sitque tibi terror corpus hominis, ſitque tibi terror imago Dei; nec reſiſtas, nec moreris diſcedere ab homine iſto, quia complacuit Deo, ut in homine habitaret. Et ne me infirmiſſimum contemnendum putes, dum me peccatorem eſſe cognoſcis. Imperat tibi Deus. † Imperat tibi majeſtas Chriſti. † Imperat tibi Deus Pater. † Imperat tibi Filius. † Imperat tibi Spiritus Sanctus. † Imperat tibi fides Apoſtolorum Petri, & Pauli, & cæterorum Apoſtolorum. † Imperat tibi ſanguis Martyrum. † Imperat tibi Sacramentum Cru † cis. Imperat tibi myſterium & vir-

virtus Crucis. † Imperat tibi Ieſus Nazarenus. † Imperat tibi Verbum caro factum. † Exi ergo tranſgreſſor, exi ſeductor, plene omni dolo, & fallaciâ, veritatis inimice. Da locum duriſſime, da locum impijſſime, da locum Chriſto, in quo nihil inveniſti de operibus tuis nefandis, qui te expoliavit, qui regnum tuum deſtruxit, qui te victum ligavit, & vaſa tua dirupit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum miniſtris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente recogitas? quid temerarie retractas? Reus omnipotenti Deo, cujus ſtatuta tranſgreſſus es. Reus Ieſu Chriſto Filio ejus, quem temerariè auſus es tentare, & crucifigere præſumpſiſti. Reus humano generi, cui tuis perſuaſionibus mortis fructum propinâſti. Adjuro te † itaque draco nequiſſime in nomine agni immaculati, qui ambulat ſuper aſpidē, & baſiliſcum, qui conculcat leonem, & draconem, ut diſcedas ab homine iſto; diſcedas ab Eccleſiâ Dei; contremiſce, & fu-

& fuge, invocato nomine illius, quem inferi tremunt; cui virtutes cælorum, & poteſtates ſubjectæ ſunt; quem Cherubin, & Seraphin indefeſſis vocibus laudant, dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Ieſus Nazarenus, qui te, cùm diſcipulos ejus contemneres, eliſum, proſtratum exire juſſit ex homine; quo præſente, cùm te ab homine ſeparâſſet, nec porcorum gregem præſumebas contingere. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ejus † ab homine iſto, quem ipſe plaſmavit. Durum eſt tibi Chriſto velle reſiſtere: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitare; quia quantò tradiùs exis, tantò majus tibi ſupplicium creſcit: quia non hominem contemnis, ſed illum, qui eſt dominator vivorum & mortuorum. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

CONJURATIO.

ITerum, atque iterum conjuro te † dæmon per illum, qui dedit poteſtatem diſ-

diſcipulis ſuis, ut cæcos illuminarent: leproſos mundarent: mortuos ſuſcitarent & omnes infirmitates curarent. Per illum te conjuro, † qui primum hominem per lignum ſanctæ Crucis reſtauravit: qui cæco nato oculos aperuit: qui Lazarum mortuum, & & ſepultum ſuſcitavit quatriduanum, & ad ſuperna revocavit: & omnes morbos ſuâ virtute curavit: qui exanimavit magica figmenta Iannes, & Mambres. Et per hunc Exorciſmum, & per omnes alias conjurationes, & omnia ſancta verba, & officia, quæ celebrantur per univerſum orbem: per hæc omnia præcipio tibi, ubicunque ſis, vel fueris, ut ſtatim, ſicut fumus vaneſcas, & vadas ad deſertum locum, vel in profundum abyſſi, ita quòd nunquam alicui noceas, non rediturus. In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Explicit primus Exorciſmus.

EX-

EXORCISMUS II.
ex Fuſte Dæmonum.

MIRABILIS QUE EFFICACIÆ ad expellendas omnes facturas, maleficia, præſtigia, ſignaturas, & opus nefarium diaboli de oppreſſis corporibus humanis.

Rubricam vide ſupra Exorciſmo I.

In nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † ſancti. Amen.

EXtinguatur in te N. omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum mearum, imò per invocationem omnium Sanctorum Archangelorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum, & omnium ſimul Sanctorum. Amen.

Deinde invocando divinum auxilium dicat.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, qui es Deus magnus, potentiſſimus, fortis, & admirabilis, qui lucem habitas inacceſſibilem, qui univerſa, quæ ex nihilo condidiſti, mirabiliter regis, & gubernas. Deus, cui proprium eſt, miſereri ſemper, & parcere, te ſupplices deprecamur, ac petimus: ut miſericordiam tuam pijſſimam ſuper hanc creaturam tuam N. oſtendere digneris, & libera eam ab omnibus maleficijs, & incantationibus ſibi arte diabolicâ factis, cujuſcunque virtutis & potentiæ exiſtant. Domine Ieſu Chriſte, qui es Verbum, ſapientia, & unicus filius altiſſimi Patris, per pietatem, & miſericordiam illam, quâ in hunc mundum veniſti, ut diſſolvere, & ad nihilum redigere digneris omnia vincula, incantationes, faſ-

fascinationes, præstigia, ligaturas, signaturas, & facturas, arte diabolicâ factas huic famulo tuo N. cujuscunque conditionis, virtutis, & potentiæ existant, ita ut confringantur, & statim deficiant, sicut deficit fumus, & sicut fluit cera à facie ignis, & amoveantur à quocunque loco, per virtutem sanctissimi nominis tui. Custodi quæsumus Domine, hunc famulum tuum N. ab omni vinculo diabolico, nec non & malignis spiritibus: & sicut liberâsti Adam, & genus humanum de faucibus inferni, & de æternâ damnatione, ita tuâ pietate, & misericordiâ illum liberare digneris à maleficiorum ligaminibus. Et tu Deus Pater omnipotens, pone manum tuam dexteram plenam largâ benedictione super illum, & reple eum æternis benedictionibus. Et sicut tu es Deus omnipotens, cujus voluntati nemo potest resistere, ita Domine non permittas aliquem contradicere suis maleficijs huic famulo tuo N. à quo hodie & semper omnes insidiæ, omnes

nes virtutes diaboli, & miniſtrorum ejus elongentur, & ab eo expellantur. Et ſicut dignatus es ſolvere vincula beati Petri Apoſtoli per manus ſancti Angeli tui, ita tuâ miſericordiâ diſſolvere digneris omnes facturas, & maleficia facta, vel quæ fiunt huic famulo tuo N. ita ut non habeant poteſtatem ſuper eum. Reſolve ergo Domine Deus omnes incantationes, facturas & omnia maleficia Satanæ, & miniſtrorum ejus, quæ per invocationes & virtutes diaboli facta fuerunt, aut fient huic creaturæ tuæ N. Per eum qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Hic Exorciſta aſpergat ægrotum aquâ benedictâ: poſtea incipiat dæmones, & maleficia adjurare hoc modo.

CONJURATIO.

Conjuro vos † dæmones infernales, ſpiritus maligni, qui fertis malum contra hanc creaturam Dei N. & qui fabricâſtis, vel conſervatis maleficium contra

tra ipsam fabricatum, & factum, per Deum Patrem omnipotentem, † Filiumque ejus unicum Dominum nostrum † Jesum Christum, & per Spiritum † sanctum Paraclytum ab utroque procedentem, & vobis præcipio, quæ noxia, & nociva estis huic famulo Dei N. ubicunque sitis, sive sitis maleficia, vel veneficia, seu præstigia, aut incantationes, fascinationes, signaturæ, facturæ, ligaturæ, & omne opus nefarium diaboli, & ministrorum ejus, sive jam facta, sive quæ fient, agnita, vel incognita, per Deum vivum, † per Deum † verum, per Deum † sanctum, & per sanctissimum, tremendum, honorandum, & glorificandum nomen Dei Adonay, ut non noceatis huic famulo Dei N. neque illi appropinquetis, nec ad omnia, quæ ad illum pertinent, sed recedite ab eo, & ab omnibus rebus ejus, & destruamini à potentissimâ manu Dei, ut ad nihilum statim deveniatis, & deficiatis ab eo, sicut deficit fumus, & sicut fluit cera à facie ignis, ut remoto omni impedimento sata-

næ, & miniſtrorum eius, omni morâ poſtpoſitâ, realiter, & effectualiter, ſine fraude, dolo, & fallaciâ, vos dæmones deſtruatis omnia maleficia, incantationes, faſcinationes, ligaturas, ſignaturas, facturas, & omne opus nefarium diaboli arte diabolicâ factum, & per nomen Dei vivi, & per virtutem ejus, qui eſt Alpha, & Omega, Principium, & Finis, carens principio, & fine, qui ambulat ſuper pennas ventorum, qui omnia ex nihilo ſuâ omnipotenti virtute creavit, per quem omnes ſancti, & electi Dei beatificantur in majeſtate divinæ eſſentiæ ejus, ante cujus faciem ignis præcedet, & inflammabit vos inimicos ſuos. Conjuro vos † dæmones rebelles Dei omnipotentis, & abominabiles ſpiritus, inimici triumphatoris Ieſu Chriſti Nazareni, ſpiritus nefandiſſimi, & prædones infernales, ſpiritus invidi, ſpiritus damnati, & reprobati, inimici humani generis, qui non ceſſatis hanc creaturam Dei N. lædere, & veſtris maleficijs vexare, per potentiam illius, qui vos in

tantâ dignitate creavit: qui vobis inexcogitabilẽ fælicitatẽ paravit; qui vos ſuperbientes mox cũ complicib⁹ veſtris eliminavit; qui vos à conſortio bonorũ ſpiritualiũ ad ſedes tartareas damnando exterminavit: qui vos ibi igne, & ſulphure cruciandos ligavit: qui de intemeratâ V. Mariâ, ſumptâ carne paſſibili, pedibus ſupra mare ambulavit: qui Petro ſub aquis labenti, dexterã porrexit: qui cœco nato oculos aperuit: qui Lazarũ de monumento ſuſcitavit: qui M. Magdalenam à malignis ſpiritibus, & omnibus peccatis tum potenter, tum miſericorditer abſolvit, & liberavit: qui diſcipulis per orbis ſpatia diffuſis, te dejecit, & fugavit: qui in die noviſſimo te cum tuis complicibus in lacũ ignis, & ſulphuris, in tenebris perpetuis religabit: per ipſum, inquam, vos conjuro, ac potentiſſimè vobis præcipio per virtutem omnium conjurationum, alligationum, & vinculorum, quibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti conjurati, conſtringi, ligari, fugari, cruciari, torqueri, & coarctari, vel ad pœnas aliquas dam-

nari poteſtis, ut protinus deſtruatis, & ad nihilum redigatis omnia maleficia, incantationes, faſcinationes, facturas, ligaturas, ſignaturas, & omnia opera diaboli, & miniſtrorum ejus. Conjuro † vos dæmones, qui fabricâſtis, conſervatis, & aſſiſtitis prædictis maleficijs, & incantationibus, huic creaturæ Dei N. factis, ſive illæ ſint fabricatæ in igne, aere, aquâ, vel terrâ, ſive ex aliquâ imagine fabricata, ex quacunque materiâ ſint, ſive maleficium ſit factum in auro, argento, ære, plumbo, vel ligno, ſive aliquo ſillato ex lanâ, lino, vel bombice, vel ex plumis animalium contextum, ſive illud ſit factum ex oſſibus hominis mortui, vel animalium quadrupedum, volatilium, piſcium, vel ſerpentium, vel ex omnibus ſementibus, & fructibus terræ, & arborum, vel maris: ſive illud ſit fabricatum ex chartâ virgineâ, vel papyreâ, vel in ligno, aut in aliquibus herbis, vel lapidibus, aut in piſcibus maris, fluminũ, vel paludum, ſive illud ſit in aliquo loco Chriſtianorũ, ſeu Hebræorum

rum, vel Paganorum, seu aliorum Infidelium, aut sit in agro, vel vineâ, sive in montibus, vallibus, vel in fontibus, vel extra, & in quacunque parte mundi, sive in Oriente, Occidente, Meridie, vel Septentrione, aut sit in vestibus, cincturis, & omnibus indumentis huius famuli Dei N. aut sit in domo, camerâ, & lecto ejus, aut supra lectum, vel sub lecto, sive sit in parietibus, angulis, vel officinis, aut rebus domûs ejus, aut in arbore, foveâ, vel puteo, sive sit in profundo, sive in abysso, vel in sylvâ, seu in antris, vel speluncis solitarijs, & si est in deserto loco, vel in flumine aliquo, sive sit in aquis marium, fontium, fluminum, & paludum, vel in quacunq; statuâ aureâ, argenteâ, æreâ, plumbeâ, cereâ, vel lignea, aut luteâ, vel ex quacunque aliâ materiâ fabricata, sive tale maleficium sit factum in annulo, sive sit in juncturis membrorum hujus famuli Dei N. sive sit datum illi in cibo, vel potu à quocumque malefico, vel malefica, sive sit positum in fundamentis domûs ejus, vel sub limine ostij, aut in ingressu domûs

jejus, & inquibuſcunque locis, in quibus ipſe habitat, & quieſcit, ſive illud ſit poſitum in puteo, ſoveâ, vel ſterquilinio, aut viâ, vel ſemitâ, in horto, vel conducto, aut ſit in igne, aere, aquâ, & terrâ, vel vento, aut in quocunque loco nobis noto, vel ignoto per nomen magnum Dei Adonai, & per virtutem ejus vobis præcipio, ut non habeatis poteſtatem conſervandi illud, ſed per virtutem paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, illa ad nihilum redigatis, ac ſi facta non fuiſſent, & per illum, qui orbem contremere facit, vobis impero, & mando, ut non habeatis auctoritatem, poteſtatem, & virtutem nocendi huic creaturæ Dei N. in die, neque in nocte, orando, nec vigilando, neque dormiendo, nec ſtando, neque ambulando, vel ſedendo, comedendo, aut bibendo, vel aliquid aliud faciendo, neque in ullâ horâ diei, vel noctis, vel habeatis poteſtatem ingrediendi domum ejus, veſtris maleficijs, aut ibi ſtando, vel morando in ejus domo, camerâ, lecto, & habiratione ejus, neque in

ullâ figurâ apparere ei poſſitis, illi terrorem incutiendo, ſed liberam, & ſanam, & ſine ullâ læſione animæ, & corporis illam relinquatis, deſtructis omnibus maleficijs, incantationibus, & facturis, illi arte diabolicâ factis, ſicut Deus liberavit tres pueros de camino ignis ardentis, quos flamma non tetigit, & ſicut Deus reſolvit vincula, & ligamina eorum, ita diſſolvantur omnia vincula, ligamina, & incantationes, omniaq; mala facturarum, & omne opus nefarium diaboli, & ministrorũ ejus ab hac imagine Chriſti N. & ab illa removeantur per ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui propter noſtram ſalutem effuſus eſt, & ſicut ſolutum fuit vinculum linguæ Zachariæ Propheræ, ita diſſolvo hunc famulum Dei N. ab omni ligamento, faſcinamento, & maleficio ſibi arte diabolicâ facto, & ab omni facturâ, & vinculo diabolico, per potentiam, & virtutem illam, quâ Deus diviſit mare rubrum, per quem populus Iſrael ticus ſuis pedibus tranſivit, & per virtutem illam

lam, quâ Christus Lazarum à monumento suscitavit, & languidum sanavit, atque cæcum natum illuminavit, & per potentiam illam, quâ ipse portas inferni destruxit, & suâ omnipotenti virtute januam cœli aperuit.

Hic Exorcista aspergat infirmum aquâ benedictâ in modum Crucis, deinde dicat,

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, rex æternorum, & moderator omnium sæculorum, incorruptibilis, invisibilis, & immensæ majestatis, magnus, & incomprehensibilis rector, potens, & immortalis, Adonai magne, & admirabilis Deus Deorum, omniumque Creator, qui sedes super Cherubin, & Seraphin, Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, te suppliciter deprecamur, ut tuâ potenti virtute, per passionem ejusdem Filij tui dissolvere digneris omnia maleficia,

ligamina, & incantationes, præſtigia, veneficia, & colligationes diaboli, & miniſtrorum ejus huic famulo tuo N. arte diabolicâ facta, ſicut deſtruxiſti magica figmenta Magorum Ægyptiorum, & non permittas illi ampliùs nocere, ſed libera eum ab omnibus maleficijs, incantationibus, faſcinationibus, ligaturis, ſignaturis, & facturis, ac malis umbris, & diſſolve omnia præſtigia, & omne opus nefarium ſatanæ illi factum. Aperi ei Domine Deus meus januam miſericordiæ tuæ, & libera eum per interceſſionem beatæ Mariæ Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et per omnes ſanctos Angelos, Archangelos, & Thronos, Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes, Cherubin, & Seraphin. Et per ſanctum Ioannem Baptiſtam, per omnes ſanctos Patriarchas, & Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas tuos, per omnes ſanctos Innocentes, Martyres, & Confeſſores, atque Doctores, per omnes ſanctos Sacerdotes, & Levitas, Monachos, & Heremitas, per omnes

ſan-

ſanctas Virgines, Viduas, & Continentes, & per totam cœleſtem Curiam. Et ſicut liberaſti Suſannam de falſo crimine, David de manu Goliæ, Iudith, & populum ſuum de manu Holofern s ducis regis Aſſyriorum, ſic liberare digneris hunc famulum tuum N. ab omni poteſtate diaboli, & miniſtrorum ejus. Et diſrumpe omnia vincula maleficiorum, atque conſtringe omnia maleficia, incantationes, faſcinationes, ligaturas, ſignaturas, facturas, & omne opus diaboli, & machinamenta ejus. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

CONJURATIO.

COnjuro vos † dæmones, & omnia, quæ per maleficium diaboli noxia, & nociva eſtis huic creaturæ Dei N. per Deum Patrẽ omnipotentẽ, qui diviſit lucẽ à tenebris, ſtabiliens cœlos, & eis menſuras ponẽs, & per illũ qui locut⁹ eſt Moyſi in monte Synai, quando dedit legem filijs Iſrael, & qui in deſerto per quadra-

ginta annos ſatiavit eos manna, & ex petrâ aquam eduxit eis ad bibendum, ut ſtatim, & ſine morâ decedatis ab eâ, & ipſam ſine læſione relinquatis. Conjuro vos † iterum per Deum omnipotentem Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & per Filium ejus, & per Spiritum Sanctum Paraclytum, vobiſque præcipio, quæcunque noxia, vel nociva eſtis, ſive in animâ, ſive in corpore, ſive jam facta, ſive fienda, ſive colligata, ſive commiſſa, ſive miſſa à quocunque dæmone, vel maleſico, ſive maleficâ, qualibet arte diabolicâ quoquo modo fabricata, quibuſcunque maleficijs, rebuſque noxijs, doloſis, vel præſtigiatis, ſive ſint prope, ſive longe, paveſcite, & timete nomen magnum Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quod ego vos conjuro, conſtringo, & & adjuro, ne noceatis, nec appropinquetis ad hunc famulum Dei N. neque ad omnia quæ ad illum pertinent. Iterum conjuro vos † omnes ſpiritus malignos, & dæmones infernales, terreſtres,

ſtres, igneos, aeros, aqueos, ſubterraneos, lucifugos, & omnes ſpiritus omnibus orbibus, & ſphæris ſervientes, & in ipſis habitantes, & vos omnes maligni ſpiritus, ubicunque ſitis, & habitetis, magni, & parvi, in potentiâ, de quacunque parte mundi miſſi eſtis ab Oriente, Occidente, à Miridie, & à Septentrione, & ab omnibus partibus totius terræ & mundi, & vos aereas poteſtates & infernales principes, & vos omnes ſpiritus generales, & ſpeciales dæmoniorum, quibus data eſt poteſtas nocendi huic creaturæ Dei N. & ad maleficia fabricanda, ferenda, & conſervanda contra ipſam, & vobis potentiſſimè, & viriliter impero, ac ſtrictiſſimè mando ex parte Dei † Patris omnipotentis. & Filij † ejus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in virtute Spiritûs † Sancti, ut omni morâ poſtpoſitâ, deſtruatis omnia maleficia, præſtigia, incantiones, faſcinationes, omneſque ligaturas, ſignaturas, facturas, & omne opus nefarium diaboli huic creaturæ Dei

N. arte diabolicâ factum, ut ab eo discedant omnes insidiæ, & omnis versutia & nequitia diabolicæ fraudis. Et sicut Moyses exanimavit magica figmenta Iannes & Mambri in Ægypto, ita confringantur omnia maleficia huic famulo Dei N. à diabolo, & ejus ministris inflicta, vel illi data in cibo, vel potu, seu in quacunque aliâ maleficâ superstitione, vel præstigijs. Iterum fortiùs, & strictiùs præcipio vobis omnibus spiritibus supradictis, & quibuscunque alijs existentibus in quacunque parte mundi, ex parte sanctissimæ Trinitatis Patris † & Filij, & Spiritûs † Sancti, & per merita Beatæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum, & Sanctarum totius curiæ cœlestis, quòd si aliquod maleficium datum fuit huic creaturæ Dei N. ad comedendum, vel bibendum, aut si vos, vel aliquis vestrûm maledicti dæmones portâstis, vel composuistis illud in hoc corpore, ut non habeatis virtutem, facultatem, vel potestatem conservandi illud, sed prædictâ virtute vobis præcipio, ut illud amoveatis, & coga-

mini diſſipare omnem virtutem illius & ad nihilum redigere omnem laqueum, nodum, & compoſitionem factam in ipſis rebus, & quòd ſitis adſtricti, & compulſi eum disjungere, ſeparare, & removere à viſceribus, & ab inteſtinis ejus, & ea per feceſſum emitti facere, ſine aliquâ læſione animæ, & corporis hujus creaturæ Dei N. Rurſum vobis ſtrictiſſimè impero, ac potentiſſimè mando ex parte ſanctiſſimæ Trinitatis Patris, † & Filij, & Spiritûs † ſancti, quòd non habeatis facultatem abſcondendi illa in aliquâ parte hujus corporis ſcilicet in ſanguine, cholerâ, flegmate, & melancholiâ, nec in carne, nec in oſſibus, neque in medullis, nec in nervis, nec in venis, neque in omnibus juncturis hujus corporis, nec in pedibus, nec in tibijs, neque in lateribus, nec in renibus, nec ſubtus renes, neque ſupra renes, nec in dorſo, nec in ſpatulis, neque unguibus, nec in corde, neque in hepate, nec in ſplene, nec in interioribus, neque in pulmone, nec in inteſtinis ſuperio-

perioribus, vel inferioribus, majoribus, vel minoribus, nec in ſtomacho, nec in ventre; neque in pectore, nec in gutture, nec in collo, neque in facie, nec in mento, nec in maxillis, neque in dentibus, nec in gingivis, nec in linguâ, neque ſubtus linguâ, neque ſupra linguam, neq; in palato, nec in naribus, neq; in oculis, nec in auribus, nec in cerebro, neque in panniculis cerebri, nec in arterijs, nec in fæcibus, neque in alijs rebus, vel locis corporis, vel extra corpus ejus, nec intrinſecè, neque extrinſecè, neque ſuperficialiter, nec in capillis, nec in pilis, neque in veſtimentis, nec in genitalibus, nec in umbilico, neque in partibus verecundis, neque in partibus illis circumſtantibus, neque in alijs locis, ubi ire, vel ſtare debeat, ſed victi, & coacti, atque virtute Dei compulſi, nunc cogamini omnia illa removere ab omnibus partibus corporis iſtius creaturæ Dei N. ubicunque ſint à plantâ pedis uſque ad verticem, & illa educatis extra ipſum corpus

pus per illam viam, quæ ſit magis libera, & expedita, ut per os ſtomachi, per guttur, & per os cum ſigno manifeſto, & ſine ullâ læſione animæ, & corporis hujus creaturæ Dei N. & illa ducatis, ad loca arida, ſterilia, & inaquoſa, atque inhabitabilia, ubi non ſit habitatio hominum. Et ſicut per Beatos Apoſtolos Dei Petrum & Paulum diſſolutæ, & ad nihilum redactæ fuerunt incantationes factæ per illud membrum veſtrum Symonem magnum, ita auctoritate mihi traditâ, & præſtitâ à Deo omnipotenti, & à Sanctâ Catholicâ, & Romanâ Eccleſiâ, ego diſſolvo omnes ſortilegas artes, præſtigia, & incantationes, quæ atrocitate invidiæ, vel malitiâ veſtrâ factæ ſunt huic creaturæ Dei N. Et ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus deſcendit ad inferos, & ibi devictâ totâ potentiâ inferni, animas Sanctorum Patrum inde extraxit, ita per potentiam, & virtutem ejuſdem, nec non omnium nominum Dei, & omnium conjurationum, ligationum,

&

& vinculorum, quibus in nomine eius poteſtis conjurari, conſtringi, cogi, arctari, ligari, fugari, cruciari, & torqueri, & ad pœnas aliquas damnari, vos omnes conjuro, adjuro, cogo, & conſtringo, ac potentiſſimè vobis impero, & mando, ut remoto omni dolo, fraude, obſtinatione, deceptione, & malitiâ, deſtruatis omnia maleficia ſatanæ, & miniſtrorum ejus, & omnem malignam faſcinationem huic creaturæ Dei N. factam, ita ut ad nihilum redigantur, & confringantur omnia maleficia, præſtigia, incantationes, faſcinationes, ligaturæ, ſignaturæ, facturæ, & omne opus nefarium ſatanæ, & miniſtrorum ejus. Quòd ſi more veſtro beſtiali, mandatis, & præceptis meis, vobis in virtute Dei omnipotentis factis, obedire contempſeritis, per omnia verba, & conjurationes, quæ in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti contra vos fieri poſſunt, contra vos conjuro Luciferum, & omnes ſpiritus infernales, quatenùs per virtutem ſan-

ſanctiſſimi nominis Ieſu Chriſti, & paſſionem ejus, contra vos, & omnes vobis faventes omni ſuâ irâ, indignatione, & furore irruant, & inſurgant, & vos ad infernum ducant, & in locum duriorem vos præcipitent, ligent, & affligant: ibi omnibus pœnis, & cruciatibus duriùs, & acriùs ſolito cruciandos: quia tot, & tantis ſanctiſſimis verbis, & myſterijs divinis rebelles fuiſtis, Et maledictio Dei omnipotentis Patris & Filij, & Spiritûs Sancti, & ira, ac indignatio Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Angelorum, & Sanctorum totius curiæ cœleſtis veniant, & diſcedant ſuper vos ſpiritus ingratiſſimi, & omnes vobis faventes. Et ego, ut miniſter Chriſti (licèt immeritus) auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctiſſimæ paſſionis ejus abſolvo hunc famulum Dei N. ab omnibus maleficijs, incantationibus, faſcinationibus, ligaturis, ſignaturis, & facturis ac malis umbris, atque

ma-

machinationibus diabolicis, sibi arte diabolicâ factis, & ab omni opere Satanæ, & ministrorum ejus, ita ut omnis inveterata malitia diaboli, & omne cœcum, & confusum phantasma eradicetur, fugetur, & elongetur ab eo. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Hic Exorcista ponat manum super caput maleficiati, & signando omnia membra ejus dicat.

ORATIO.

EXpelle Domine Deus omnipotens ab hac creaturâ tuâ N. omnia maleficia diaboli, omnesque incantationes, fascinationes, ligaturas, signaturas, facturas, & omne opus Satanæ, & ministrorum ejus à capite, à capillis, à vertice, à cerebro, à panniculis cerebri, à fronte, ab oculis, à linguâ, à sub linguâ, de auribus de naribus, de collo, de maxillis, de dentibus, de gutture, de gingivis, de ore, de palato, de ciliis, de supercilijs, de pilis, de

de pedibus, de tibijs, de genibus, de cruribus, de partibus verecundis, de renibus, de lateribus, de inteſtinis ſuperioribus, & inferioribus, & femore, de ventre, de ſtomacho, de corde, de ſpatulis, de humeris, de pectore, de uberibus, de brachijs, de manibus, de unguibus, de oſſibus, de nervis, de venis, de medullis, de pulmone, de compaginibus membrorum ſuorum, de omnibus juncturis, de toto corpore ſuo intus, & extra, de quinque ſenſibus animæ, & corporis, nullumque locum in ipsâ habeant intus, & foris ampliùs, ut ſana, & ſalva fiat, per invocationem ſanctiſſimi nominis unigeniti Filij tui, & Spiritûs ſancti paraclyti. Tu ergo Deus Pater pijſſime, qui dignatus es corpus, & animam hujus creaturæ tuæ N. creare, digneris etiam totum corpus, & animam ipſius ſalvare, & ſalvam facere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritûs ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

EX-

EXORCISMUS III.

Ex Manuali.

Per invocationem Beatissimæ Virginis MARIÆ.

Flexis genibus ante Altare, vel imaginem beatissimæ Virginis, vel alterius Sancti, vel Sanctæ, leget Exorcista altâ voce Litanias B. MARIÆ LAURETANÆ. *prout sequuntur.*

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere.
Sancta Maria, Ora pro eo.
Sancta Dei genitrix, Ora pro eo.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divinæ gratiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.

Ma-

Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentiſſima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum juſtitiæ, ora.
Sedes ſapientiæ, ora.
Cauſa noſtræ lætitiæ, ora.
Vas ſpirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas inſigne devotionis, ora.
Roſa myſtica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Janua cœli, ora.

Stel-

Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et

℣. Et clamor meus ad te veniat. ℟. Dominus vobiscum. ℣. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosâ beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, & æternâ perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORATIO.

DEus, qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Iesum Christum, &c. ℟. Amen.

ORATIO.

O Maria Virgo, quæ contrivisti caput serpentis, fugatrix dæmonum, & maleficiorum dissipatrix, ne hæc creatura, ad imaginem & similitudinem filij tui creata, ulteriùs crucietur, succurre, & preces

ces noſtras, quas auribus tuæ pietatis & miſericordiæ offerimus, exaudi; ut deſideratam ſanitatem tuo pio interventu obtineat, largiente Ieſu Chriſto Filio tuo crucifixo, regnante in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Surgens Exorciſta ab Oratione, aſperget infirmum & circumſtantes Aquâ benedictâ, & elevatis oculis in cœlum dicet: Sub tuum præſidium confugimus, ſancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias, & concede, ut te adjuvante de hoc ſuperbo hoſte victoriam referamus.

¶ Sequentia ſancti Evangelij ſecundùm Lucam. *Luc. 1.*

EXurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum feſtinatione, in civitatem Iuda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus

ctus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham & semini ejus in sæcula. Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus: & reversa est in domum suam.

℟. Laus tibi Christe.

Subjunget Exorcista, quod semper faciet lecto aliquo Evangelio. Per Evangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

EXORCISMUS.

ILla mater Dei intemerata, semper Virgo Maria, quam Dominus omnipotens ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, & ab æterno elegit sibi in matrem & sponsam: illa, inquam, vos virginitatis hostes per suam intercessionem expellat ab hac creaturâ Dei, ipsique Deo hoc habitaculum suum, quod temerè præsumpsistis invadere, relinquatis, ac omne maleficiorum genus dissolvatis.

Illa vobis suis meritis contraveniat, cujus partus extitit salutis exordium, & gaudium annuntiavit in universo mundo: ipsa enim est flos campi, de quo ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa; ex eâ enim ortus

tus est Sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Illa vos, vestramque superbiam calcet, ô angeli apostatici, cui missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ut salutatione præmissâ, conceptionem Dominicam nuntiaret, dicendo: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum: hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, fiet autem istud Spiritu sancto superveniente in te, & Altissimi virtute te obumbrante.

Illa vos, vestramque superbiam conculcet, quæ, cum se gravidam cognovisset, exurgens abijt in montana cum festinatione in civitatem Iudæ, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamavit dicens: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

Illa vos, veſtramque ſuperbiam vincat, quæ novem poſt conceptionem decurſis menſibus, dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, dum paſtores vigilias noctis cuſtodirent ſuper gregem ſuum, peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præſepe, quia non erat ei locus in diverſorio.

Illa vos, veſtramq; proterviam retundat, in quâ præciſum eſt illud Evæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios, quia iſta in lætitiâ Dominum peperit. Eva enim luxit, iſta exultavit: Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem, iſta edidit innocentem, & nocentium liberatorem.

Illa vos, veſtramque temeritatem confundat, & caput veſtrum conterat, quæ Virgo ante partum, in partu, & poſt partum permanſit.

Illa vos expugnet, quæ poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus, ſe cum

dùm

dùm legem Moysi cum Ioseph sponso suo tulit filium suum, & Dominum nostrum Iesum Christum in Ierusalem, ut sisteret eum Domino.

Illa vos fugam capere faciat, quæ in Canâ Galilææ ad nuptias, in quibus defuit vinum, dixit Filio suo: Vinum non habent. Deinde ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite.

Illa vos ad loca vobis debita deijciat, ô corruptores bonæ mentis, quæ cum Maria Cleophe, & Maria Magdalene juxta crucem Iesu Christi Filij sui stabat: quam cùm ipse vidisset, ait illi: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit Discipulo suo Ioanni: Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.

Illa vos ad loca vobis debita deturbet, quæ, cùm debitum carnis morte interveniente exsolvisset, assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

Illaque tandem vos exterminet, quæ sicut Christi magnificentiâ super cœlos

est elevata, ita exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna, cujus meritis, precibusq; confisus, auctoritate Filij ipsius ego vobis præcipio, ut hinc discedere festinetis, & ab omni maleficio hanc creaturam Dei solutam & liberam relinquatis.

Quousque tandem non exibitis? quid moramini? quid temerè cogitatis? Fugite rebelles æternæ majestati, date locum Deo maledicti, & exite ab hac imagine sanctissimæ Trinitatis, euntes ad loca vobis à Deo parata.

EXORCISMUS IV.

Per invocationem Sanctorum Angelorum.

Ex Manuali.

ORATIO.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius: ut à quibus tibi ministran-

niſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terrâ vita noſtra muniatur. Per Dominum noſtrum Ieſum, &c. *Reſp.* Amen.

ORATIO.

VIſita, quæſumus Domine, hunc famulum tuum N. & omnes inſidias inimici ab eo longè repelle. Angeli tui ſancti habitent cum eo, qui eum in pace cuſtodiant: & benedictio tua ſit ſuper eum ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentiâ ſanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere dignaris: largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æternâ ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

Hîc ſurget Exorciſta, & aſperget obſeſſum & circumſtantes Aquâ benedictâ, & ſtans verſùs illum proſequetur ſequentia.

Psalmus 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non approp nquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum

lum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Lectio ſancti Evangelij ſecundùm Matthæum.

Matth. 4.

IN illo tempore: Ductus eſt Ieſus

in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm jejunâſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem: & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Ieſus: Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis

rabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Evangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

EXORCISMUS.

EXorcizo vos spiritus nequam, qui hoc plasma Dei vexare præsumitis, per Deum omnipotentem, Sanctorum Angelorum & vestrum Creatorem, ut agnitâ vilitate vestrâ, ad quam per superbiam devenistis, dissipatoque omni maleficio, ab hac Dei creaturâ discedatis. Neque enim digni estis, ut in homine tyrannidem exerceatis, qui à naturali vestrâ excellentiâ contra Deum vos elevando dejecti, atque rudentibus inferni detracti, in carceribus vestris caligine reservamini. Eum timete, qui sanctos Spiritus, suum principatum, domicilium que servantes, non tantùm æternâ gloriâ remuneravit, verùm etiam ve-

ſtram, quam deſeruiſtis, adjecit dignitatem; ita ut ad ipſorum præſentiam vos jam contremiſcere compellamini, quibus aliquando naturâ pares fuiſtis.

Illius vos urgeat majeſtas, qui vobis ex altiſſimâ cœlorum ſede dejectis in ea loca, ubi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ſtabiliter ſibi adhærentes ſpiritus per hierarchias, ordineſque ſic diſpoſuit, ut millia millium throno ejus aſſiſtant, & decies millies centena millia majeſtati ipſius perpetuò miniſtrent. Quorum miniſterio (niſi ceſſeritis) ad mandatum ejus tanta vobis accumulentur tormenta, ut infernalem potius flammam, quàm hujus creaturæ Dei corpus eligere compellamini.

Illum timete, cujus voluntati obſequens Archangelus Michael cum exercitu Angelorum, vos fruſtrà contrà præliantes ita devicit & ſubjugavit, ut ne locus quidem veſter in cœlo ampliùs inveniretur. Horum vos poteſtati reſiſte-

re

re præsumitis ? Scitote, quòd vestrûm unus Asmodæus per Raphaelem Archangelum jecoris fumo è cubiculo Tobiæ & Saræ profligatus, in deserto superioris Ægypti religatus sit.

An ignoratis, quòd omnium præsentium Christianorum, qui precibus apud Deum contra vos certant, Angeli semper vident faciem Patris nostri, qui in cœlis est? qui nos labentes erigunt, qui contra vestros insultus nos muniunt, qui orationes nostras ad Deum perferunt, qui divinæ benevolentiæ beneficia suis precibus impetrata nobis reportant. Omnes nos contra vestram contumaciam Dominum invocamus. Quid moramini ulteriùs? quid exspectatis, nisi ut Angeli sancti, de quorum custodiâ contra vos gloriamur, accepto à Deo mandato, flagella vobis ingeminent, & miseriæ vestræ acerbiora insuper tormenta adjciantur?

Iterum vos exorcizo per Iesum Christum Dominum nostrum verum hominem

nem, verumque Deum, qui suâ humilitate & passione mortis paulò minus ab Angelis minoratus, sic gloriâ & honore coronatus est, ut sit caput omnis principatûs & potestatis, in quem & desiderant Angeli prospicere, cujus sanguine hic servus Dei redemptus est Exite igitur vos apostatici spiritus. Date locum Deo omnipotenti, cui hic servus addictus est. Date locum Christo Domino nostro, sub cujus auspicijs hic contra vestram nequitiam militat. Date locum sanctis Angelis, quorum hic tutelæ commissus est, eorumque contra vos auxilium invocamus, neque eum ulterius à Domini sui servitio vestris infestationibus, aut maleficijs impedire præsumatis.

Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

EXORCISMUS V.

Per invocationem DEI & SANCTORUM ejus.

Ex Manuali.

Flexis genibus leget Exorciſta altâ voce Litanias ſequentes.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. &c. *ut ſup. fol. 10.*

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicalis interceſſoribus, largiaris. Per Dominum noſtrum, &c. *Reſp.* Amen.

ORATIO.

INtervenientibus, Domine, ſanctâ Mariâ Virgine Matre tuâ, & omnibus Sanctis, huic famulo tuo N. auxilij tui placatus oſtende virtutem, ut deſtructis adverſitatibus, inſidijſque diabolicis univerſis, ſecurâ deinceps tibi ſerviat libertate. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis

vivis & regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

ORATIO.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent, & dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & ab Ecclesiâ tuâ cunctam repelle nequitiam. Iter, actus, & voluntates nostras in salutis tuæ prosperitate dispone, & huic famulo tuo pacem, & ijsdem intervenientibus à dæmonum infestatione requiem concede. Per Dominum nostrum, &c. *Resp.* Amen.

ORATIO.

PRotege Domine hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) N. & Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva. Per Dominum, &c.

Surgens ab oratione Exorcista, asperget infirmum Aquâ benedictâ, & stans versùs illum leget sequentia.

Psal-

Psalmus 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem totâ die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectùm tibi dabo, & instruam te in

in viâ hac, quâ gradieris : firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus : quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti : & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper : & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Lectio Sancti Evangelij ſecundùm Matthæum.

Matth. 15.

IN illo tempore : Egreſſus Ieſus ſecеſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei : Miſerere mei Domine fili David : filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbũ.

Et

Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israel. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ Dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illâ horâ. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Evangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

EXORCISMUS.

EXorcizo vos apostatici spiritus, per Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, ut ab hac creatura Dei, Sanguine Christi de faucibus vestris erept, continuò recedatis: Exorcizo vos per B. Ma-

Mariam Virginem Dei Matrem, & omnes Sanctorum Angelorum Choros, & per merita omnium Sanctorum, qui paratam vobis gloriam, à quâ per inobedientiam excidistis, fide & operibus consecuti, vestras ruinas in cœlestibus impleverunt.

Exorcizo vos per sanctos Patriarchas & Prophetas, qui adversùs tenebras ignorantiæ, quas mundo induxeratis, à Deo in vineam suam missi tanquam fideles operarij, illas non in se tantùm vicerunt, sed & ab aliorum cordibus expulerunt: propter quod & per vestram invidiam lapidati sunt, secti sunt, occisione gladij mortui sunt, glorioso de vobis certamine in perpetuum triumphantes.

Exorcizo vos per Sanctos Apostolos Christi, qui carne velatum Filium Dei simplici fide recipientes, vestram proterviam, quâ Deum, qui vos genuit, dereliquistis, confuderunt, acceptâque gratiâ & Apostolatu ad obediendum fidei

in

in omnibus, ſuâ prædicatione totum orbem terrarum ab infidelitate ad Creatoris noſtri agnitionem reduxerunt.

Exorcizo vos per quatuor Evangeliſtas, qui ſublimium myſteriorum Dei cognitione, tanquam oculis pleni intus & foris, lumine Evangelij publicato, veſtram, quâ pro Dijs haberi volebatis, impudentiam detexerunt.

Exorcizo vos per glorioſum exercitum Sanctorum Martyrum, qui vobis impiè ſævientibus in eos, ſui ſanguinis & vitæ prodigi, pro juſtitiâ & veritate agonizârunt uſque ad mortem. A quibus ſubacti & turpiter victi, erubeſcite, neque virtuti ſanguinis eorum, quem pro Chriſto fuderunt, ulteriùs reſiſtere præſumatis.

Exorcizo vos per ſanctos Pontifices, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Chriſti, quam acquiſivit Sanguine ſuo, eamque à vobis, veſtriſque inſidijs indefeſſâ vigilantiâ defenderunt.

Ex-

Exorcizo vos per ſanctos Confeſſores, qui magnâ animi fortitudine mundum cum omnibus delicijs contemnentes, cupiditatum ſuarum victores extiterunt; & ſuperatis veſtris tentationbus, divinorum mandatorum viam alacri charitate cucurrerunt.

Adjuro vos per Sanctos Eccleſiæ Doctores, qui non ſibi ſolis viventes, poſtquam Deo per ſanctam converſionem grati facti ſunt, ſcriptis quoque eandem Eccleſiam illuminârunt, & contra hæreſum errores, quas nunquam ſeminare deſiſtitis, munierunt, atque in Catholica fide conſervârunt.

Exorcizo vos per ſanctos Abbates, Monachos, Eremitas, qui hominum mundanorum conſortia declinantes, atque in ſolitudinibus errantes, in montibus, ſpeluncis, & caverais terræ, quæ loca tanquam veſtris ſpurcitijs conſecrata inhabitare antea conſueviſtis, impetus veſtros fortiter ſuſtinuerunt, & vobiſcum veluti cominùs congreſſi, in proprijs

prijs vos ſedibus expugnârunt.

Exocizo vos per ſanctos Presbyteros, qui divinis aſtiterunt in conſcientiâ purâ, & immaculati Agni oblatione, inter alia beneficia, fidelibus à Deo veſtrorum quoque conatuum exſufflationem frequenter impetraverunt.

Exorcizo vos per ſanctas & prudentes Virgines & Viduas, quæ exhibuerunt corpora ſua hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, ut per continentiæ libamen, cogitantes, quæ Domini ſunt, placerent, cui ſe probaverunt, veſtras quotidianâ exercitatione impugnationes & impuritates animo pluſquam fæmineo debellantes.

Hos igitur & omnes Dei Sanctos ſuppliciter invocantes, rogamus Deum, ut Angelorum protectio, Patriarcharum fides, lumen Prophetarum, Apoſtolorum perfecta charitas, Martyrum ſanguis, Confeſſorum fortitudo, Monachorum religioſa devotio, Virginum caſtitas, ſanctitas Viduarum, & omnium Sanctorum

rum & Sanctarum merita fiant nobis contra vos in adjutorium. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

BENEDICTIO

REVERENDI P. JOANNIS de S. Guilelmo Ordinis S. Augustini Eremitt. efficacissima.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

BEnedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat vultum suum ad te, & det tibi pacem. Dominus benedicat te N. & liberet te ab omnibus malis, & ab omnibus insidijs inimicorum. Dominus Iesus Christus apud te sit, ut te defendat, intra te sit, ut te conservet, ante te sit, ut te deducat, post te sit, ut te custodiat, super te sit, ut te benedicat, & liberet ab omnibus maleficijs, incantationibus, & signaturis, & facturis. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto in unitate perfectâ vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce

Ecce crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Iudâ, radix David. Crux bona, Crux digna, Lignum ſuper omnia ligna. Per Crucis hoc ſignum, depellitur omne malignum. Ne mentem lædant, phantaſmata recedant. Super ægros manus imponent & bene habebunt. Ieſus Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus. Meritis Beatiſſimæ Virginis & SS. Vincentij & Ubaldi, & BB. Zenobij, Guilielmi, & Nicolai de Tolentino, Confeſſorum ſuorum reſtituat tibi ſanitatem, ſitque tibi propitius & clemens. Et benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti deſcendat ſuper te & maneat ſemper. Amen.

ORATIO.

O Maria Virgo, quæ contriviſti caput ſerpentis, fugatrix dæmonum, & maleficiorum diſſipatrix, ne hæc creatura, ad imaginem & ſimilitudinem filij tui creata, ulterius crucietur, ſuccurre; & preces noſtras, quas auribus tuæ pie-

tatis & misericordiæ offerimus, exaudi; ut desideratam sanitatem tuo pio interventu obtineat, largiente Iesu Christo Filio tuo crucifixo, regnante in sæcula sæculorum. Amen.

PRÆCEPTUM FACIENDUM post Benedictionem & Exorcizationem obsessi.

PRæcipio vobis omnibus spiritibus immundis, qui estis in hoc corpore, in nomine sanctissimæ Trinitatis Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritûs ✠ Sancti; sub pœnâ immersionis in stagnum ignis, & sulphuris per annos mille statim ab exitu vestro; quatenus non habeatis auctoritatem, seu potestatem ascendendi superiùs ad caput, vel ad membra hujus creaturæ Dei N. & ipsam lædendi; sed cogamini manere deorsum, donec vocati fueritis à me, seu ab aliquo alio exorcistâ: vel permissi à Deo ascendere ad honorem ipsius, ad salutem hujus creaturæ Dei, & ad confusionem vestram, vel augmentum pœnarum vestrarum, &

ſinatis ipſam orare, confiteri, communicare, comedere, bibere, quieſcere & omnia illa agere, quæ ſpectant ad honorem Dei, & ſalutem animæ ſuæ. Et ſicut Chriſtus mortuus eſt, & deſcendens ad inferos, dixit. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ, & ibi ligavit ſuperbiſſimum Luciferum; ita auctoritate, quâ fungor, ligo vos in loco vobis aſſignato. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritûs ✠ Sancti. Amen.

ORDO AD FACIENdam aquam benedictam.

Sacerdos indutus Sacerdotalibus indumentis, vel ſaltem ſtolâ, abſolutè dicat.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

EXORCISMUS SALIS.

EXorcizo te creatura ſalis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per

Deum † sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ, & corporis, & effugiat, atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

ORATIO.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter implora-
mus, ut hanc creaturam salis, quam in u-
sum generis humani tribuisti, bene † di-
cere, & sancti † ficare tuâ pietate digneris,
ut sit omnibus sumentibus salus mentis
& corporis; & quicquid ex eo tactum,
vel respersum fuerit; careat omni im-
munditiâ, omni que impugnatione spiri-
talis nequitiæ. Per Dominum nostrum
Iesum Christum filium tuum, &c.

EX

EXORCISMUS AQUÆ.

EXorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in nomine † Iesu Christi Filij ejus Domini nostri, & in virtute Spiritûs † sancti; ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis. Per virtutem ejusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

ORATIO.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæq; sacramenta in aquarum substantiâ condidisti; adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene † dictionis infunde, ut creatura tua mysterijs tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum; ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperserit, care-

at omni immunditiâ: liberetur à noxâ: non illic reſideat ſpiritus peſtilens; non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Hic mittat ſal in aquam in modum crucis; dicendo ſemel.

Commiſtio ſalis, & aquæ pariter fiat, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † ſancti. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

DEus invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperij Rex, ac ſemper magnificatus triumphator, qui adverſæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas, qui hoſtiles

les nequitias potenter expugnas, te Domine trementes, & ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam ſalis, & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicunque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritûs abigatur; terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritûs nobis miſericordiam tuam poſcentibus, ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

BENEDICTIO OLEI probatiſſima ad expellendas omnes facturas, maleficia, ligaturas, & omne opus nefarium diaboli de humanis corporibus, quæ ab aliquibus aſcribitur S. Cypriano.

Moduſque ſumendi dictum oleum.

Sacerdos habeat vas præparatum cum oleo benedicendo, & indutus ſacerdotali ſtolâ, benedicat ipſum, dicens.

IN nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs †ſancti. Amen.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

EXORCISMUS.

EXorcizo te immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio Satanæ, & phantaſma, in nomine Dei Pa†tris, in nomine Dei Fi†lij, & in nomine Dei Spiritûs †ſancti, ut recedas ab hoc oleo, ut poſſit effici potatio ſpiritualis ad ſanandum infir-

firmos; ut in eis possit habitare Spiritus sanctus, per nomen Dei Patris, & per nomen Domini Iesu Christi dilectissimi filij ejus. Qui venturus est judicare vivos, & mortuos & sæculum per ignem. Amē.

ORATIO.

EMitte Domine septiformem Spiritum sanctum Paraclytum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis & corporis, ut tuâ benedictione sit semper tangenti tutamentum mentis, & corporis, ad evacuandos omnes humores melancholicos, omnes dolores, omnes infirmitates, omnesque ægritudines mentis, & corporis, unde vnxisti Reges, Prophetas, & Martyres unctione sanctâ tuâ perfectâ. Domine abs te ostende nobis, ut benedictum permaneat in visceribus famulorum tuorum, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum, & cum Spiritu sancto vivit, & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic sacerdos habeat vexatum, seu maleficiatum præsentem, si commodè fieri potest, & positis manibus super caput ejus, adjuret dæmonem hoc modo.

ADjuro te, ô Satana, & omnes malignos spiritus per nomen Dei vivi, † veri, † sancti, † per nomen, & merita Virginis Mariæ: per potestatem omnium spirituum cœlestium; & per novem ordines cœlestes, in maledictionem, confusionem, & augmentum pœnarum tuarum in centuplum de die in diem, usque ad ultimum tremendum diem finalis Iudicij augmentandam, si nunc non recedas maledicte Satana ab hoc famulo Dei N. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

CONJURATIO.

ITerum conjuro te, ô Satana, quòd non requiescas, neque cesses à labore continuo de loco, in quo es, penitus removere ab officio, & societate damnatâ cujuscunque principatûs, & tuam, & omnem

nem malignam fascinationem ab hac creaturâ Dei N. facturas, infirmitates, & dolores animæ, & corporis per verba conjurationis prædictæ, maledicte Satana, sit nomen, & opus tuum confusum, & maledictum in æternum. & ultra à Deo omnipotente, & à me per potestatem mihi traditam super te, non solùm in baptismate, & alijs sacramentis, sed etiam per administrationem veri corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, mihi per auctoritatem beatorum Apostolorum Petri & Pauli concessam. Et si fueritis rebelles, & contumaces, & mihi inobedientes, conjuro contra te, & contra vos omnes spiritus infernales, qui vos nefarios spiritus cum festinatione, quatenus, per virtutem illius nominis, quod Moyses nominavit; & tunc absorpti fuerunt à cavernis abyssi Dathan, & Abyron, & in virtute illius nominis, usque in profundum abyssi, usque ad ultimum diem vos religent. Amen.

℣. Sequentia sancti Evangelij secundùm Marcum.

IN illo tempore. Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit; salvus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient. Linguis loquentur novis. Serpentes tollent. Et, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent; & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. ℟. Laus tibi Christe.

ADJURATIO.

ADjuro etiam vos † omnes immundos spiritus per eum, qui erat, qui est, & qui venturus est: qui creavit, & redemit nos suo sanguine, per crucem, mortem, sepulturam, & resurrectionem tuam: qui hîc præsens, & ubique est: qui dixit: Ubi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi in medio eorum sum: & per nomen ejusdem Domini nostri Iesu Christi, ut hinc statim recedatis cum maleficijs, & factis vestris, nunquam redituri. In nomine † Patris, & † Filij & Spiritûs † sancti. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Exurge Christe adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

ORATIO.

OPotestas immensa, ô Trinitas individua, æterne Spiritus sancte, te omnes Christicolæ exoramus, ut potentiam, & misericordiam tuam super hanc creatu-

turam tuam N. porrigas: & ab omni ſpiritu immundo tuâ pietate liberare digneris. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hic Sacerdos revertatur ad benedictionem Olei, & dicat.

BEnedicat te creatura olei † Imperialis majeſtas: protegat te † regalis divinitas: defendat te † immenſa Trinitas: foveat te † gloriosa unitas: dirigat te † inæſtimabilis bonitas: regat te † potentia Dei Patris: vivificet te † ſapientia Dei Filij: deducat te † virtus Spiritûs ſancti. Alpha, & Omega, Deus Sabaoth ſit iſta invocatio, u. det tibi ad omne malum virtutem. Crux † Chriſti ſalvet te: duodecim Apoſtoli te † cuſtodiant. Sancti Martyres te † adjuvent: ſancti Confeſſores te benedicant: omnes ſancti Sacerdotes novi, & veteris Teſtamenti te exorci†zent, & ſanctificent † Sancti Angeli, Archangeli: Throni, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes cœlorum, Che-

Cherubin, & Seraphin te † defendant: virtuosus, Deus trinus, & unus te benedicat, & det tibi ad omne malum, & ad omnes facturas, & maleficia virtutem: ut per te possim destruere, eradicare, & evellere de animabus, & corporibus humanis omnia maleficia, omnes incantationes, ligationes, facturas, & omne opus nefarium diaboli. Per Dominum nostrum.

Hic sequuntur benedictiones dicti olei ad bibendum, & ad ungendum facturatos.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

EXORCISMUS.

EXorcizo te creatura olei per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, ut omnis virtus adversarij, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio, & omne phantasma Satanæ eradicetur à te: ut fias omnibus, qui te sumpserint,

ſerint, medicina ad expellendas omnes facturas, & fuganda omnia maleficia Satanæ, & miniſtrorum ejus, & ipſum inimicum expellere cum omnibus maleficijs, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, & facturis valeas. In nomine Patris omnipotentis, in charitate Ieſu † Chriſti Domini noſtri Filij ejus, qui vivit, & regnat cum Spiritu ſancto Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

CReaturarum Deus omnium, & Domine Creator, qui per Moyſen famulum tuum, permixtis herbis aromatum, fieri præcepiſti ſanctificationē unguenti, clementiam tuam ſuppliciter depoſcimus: ut huic oleo, quod oliva, te jubente, produxit, ſpiritualem gratiam largiendo, plenitudinem ſanctiſ† ficationis infundas: ſit Domine fuga dæmonum, ac omnium maleficiorum, incantationum, ligationum, facturarum, ac omnium operum

rum Satanæ exterminatio: & præſta nobis, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut quicunque ex oleo biberint, & devotè unxerint, ſit eis perfecta medicina contra omnes diabolicas machinationes, facturas, ligationes, & ſignaturas, ac malignos ſpiritus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs† ſancti, Amen,

EXORCISMUS.

EXorcizo te creatura olei in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † ſancti: ut per hanc invocationem individuæ Trinitatis ac unius virtute Deitatis, omnis nequiſſima virtus adverſarij: omnis inveterata malitia diaboli: omnis violenta incurſio, omne confuſum & cœcum phantaſma eradicetur, fugetur, & diſcedat ab hoc oleo: & omnes, qui ex eo biberint, & devotè unxerint, fiat ſanitas ſuper eos ab omni maleficio diabolico, ut non poſſit latere ulla malignorum Spirituum nequi-

quitia. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO.

DEus omnipotens, ſanctificationum dominator, cujus pietas ſine fine ſentitur, Deus, qui cœleſtia, & terrena ſimul moderaris, & complecteris, ſervans miſericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conſpectum gloriæ tuæ. Exaudi, pie Domine, preces ſervorum tuorum, & copioſa tua bene † dictio deſcendat in hoc oleum in honore nominis tui, & victorioſæ Crucis † uæ: & in honore Sanctorum omnium totius cæleſtis Curiæ. Tu, ô clementiſſime Pater, ſancti † fica, & miſerator illuſtra † proprio ſplendore clarifica, † & ut omnis, qui devotè biberit, & unxerit, ab omnibus ſpiritibus immundis, ac operibus eorum ſanetur, & ſalvetur propter nomen tuum magnum, & manum tuam fortem, & brachium tuum excelſum. Et tu Deus altiſſime liben-

ter

ter protege, & dignanter libera eos ab omnibus ſpiritibus immundis, maleficijs, incantationibus, ſignaturis, facturis, & ab omni opere Satanæ liberare digneris propter nomen tuum magnum, & admirabile, & liberatos æternâ redemptione conſerva, ut ſemper felices, ſemperque in tuâ gratiâ lætantes, conſtanter in iſtam confeſſionem Trinitatis in fide Catholicâ perſeverent. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

BENEDICTIO AQUÆ ad expellenda, & fuganda maleficia de obſeſſis corporibus humanis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

EXORCISMUS.

EXorcizo te † aqua per illum, qui te creavit, & qui te in baptizari voluit: qui in quatuor flumina de Paradiſo exire

re jussit, & totam terram irrigare præcepit. Exorcizo te † per illum, qui Naaman Syrum à lepra mundavit. Exorcizo te † aqua per eum, qui te per suam potestatem in Canâ Galilææ convertit in vinum. Exorcizo te † per incarnationem Filij Dei vivi, per nativitatem, circumcisionem, per baptismum, & sanctum jejunium ejus: per passionem, mortem, & sepulturam ejus: per resurrectionem, & ascensionem ejus: per adventum, & gratiam Spiritûs Sancti Paraclyti: & per beatam Mariam Virginem Matrem Domini nostri Iesu Christi, & per lacte ejusdem Virginis Mariæ & per omnes Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubin, & Seraphin: per omnia Sacramenta Ecclesiæ Catholicæ: per Sanctum Ioannem Baptistam, per omnes Sanctos Patriarchas, & Prophetas, Apostolos, Martyres, Innocentes, Confessores, Virgines, Viduas, & Continentes DEI, & virtutem Omnium Sanctorum, & Sanctarum

ctarum ejus: ut in virtute Ieſu Chriſti deſtruas omne opus nefarium Diaboli, & miniſtrorum ejus, omneſque incantationes, ligaturas, faſcinationes, ſignaturas, facturas arte diabolicâ factas, ſeu inventas contra famulos Dei N. ita ut ad nihilum redigantur, & ſicut Divina potentia exſpoliavit infernum, ita exſpoliare valeas illum ab omnibus facturis: per te extinguantur omnes ardores, calores, & frigiditates, cæteræque peſtilentiæ factæ, ſive fiendæ contra famulos Dei N. in omnibus facturis. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

EXORCISMUS.

ITerum exorcizo te Aqua per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum Sanctum †, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: ut omnes virtutes adverſarij, omnis exercitus Diaboli, omnis incurſus, & omne phantaſma inimici eradicentur, & effugiant

à te

à te, ut sis sancta, salutifera, & ignis ardens adversus omnes insidias inimici, ut quicumque te biberint, seu gustaverint, sit eis sanitas & medicina animæ, & corporis, & in virtute Sanctæ Trinitatis effugiat omnis infirmitas, & omne opus nefarium Diaboli, potatione tui separetur, effugiat, & elongetur. Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Initium Sancti Evangelij secundùm Ioannem.

In Principio erat Verbum &c. *fol. 6.*

ORATIO.

BEnedicat te † Aquà, Deus Pater omnipotens, qui te suo verbo creavit: & det tibi ad omne malum, & maleficium virtutem, ut quicunque te devotè sumpserit, & gustaverit, liberetur ab omnibus maleficijs, incantationibus, ligaturis, signaturis, & facturis, arte diabolicâ factis, & ab omni spiritu immundo, & per omnia sancta nomina tua Domine Iesu Christe sana cor, & omnia mem-

membra hujus famuli tui N. & ipſum libera ab omnibus malis animæ, & corporis. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hîc exſufflater in aquam dicendo.

Exſufflo te omnis legio Satanæ, in nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritûs † Sancti. Amen.

EXORCISMUS.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritûs † ſancti, ne ſis communis ulli ſpiritui immundo, ad honorem ſanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis viventis, atque regnantis, vt quicunque te devote b berint & guſtaverint, omnis ſpiritus immundus, cum omnibus factu is ſuis ab eis recedant. Iraque exorcizo t † creatura aquæ in nomine Ieſu Chriſti Nazareni filij Dei vivi, Regis, & Iudic is noſtri, vt ſis purgatio omnium maleficiorum, & incantationum factarum huic creaturæ Dei N, quam ipſe ad imaginem, & ſimilitu-

litudinem creavit, & ad baptiſmum, & gratiam ſuam vocare dignatus eſt. Te ergo invoco, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut hanc aquam exorcizare & benet dicere pro tuâ pietate digneris, ut omnis immundus ſpiritus locum in eâ ampliùs non habeat, ſed in virtute Spiritûs Sancti, omnes, qui liberint ex eâ, recipiant ſanitatẽ corporis, & animæ, & ab omnibus ſpiritibus immundis ac operibus eorum ſanentur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

ORATIO.

DIgnare Domine Jeſu Chriſte exorci † zare, bene † dicere, & ſancti† ficare aquam iſtam ad liberandum, & ſanandum famulum tuum N. ab omnibus maleficijs, incantationibus, ligaturis, ſignaturis, & facturis ſibi arte diabolicâ factis, ut ad nihilum redigantur. Et ſicut tuâ potentiâ infernum ſpoliâſti, ita eâdem expoliare digneris ipſum famulum tuum N. ab omni machi-

chinamento diabolicâ arte facto, qui redemisti nos in manu forti, & brachio extento. Da Domine Iesu Christe, ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per te Iesu Christe Salvator mundi, Amen.

ORATIO.

TE igitur Domine Iesu Christe, qui es fons, & Aqua salientium in vitam æternam, suppliciter exoramus, ut hanc aquam benedicere, & exorcizare pro tuâ pietate digneris in salutem, adjutorium, & liberationem famuli tui N. & ipsum tuere ab omnibus maleficijs, incantationibus, & illusionibus dæmonum, ministrorum ejus, & ab ipsis potenter illum defendere per virtutem tuam, de cujus latere fluxerunt sanguis, & aqua in remedium. & remissionem peccatorum nostrorum, ita nos, Domine, famuli tui, clementiam tuam, & nomen sanctum tuum imploramus, ut ubicunque ex hac aquâ biberint, & devotè gustaverint, abluantur ab omnibus

 sor-

sordibus dæmonum, & reddantur suæ incolumitati: nec eis in futurum nocendi habeat potentiam adversa dæmonum, & maleficiorum potestas. Qui Sanctus, & pius es, & permanens in sæcula sæculorum. Amen.

BENEDICTIO OLEI & aliarum unctionum, vel carnis, vel lardi, vel butyri, vel casei, mutatis mutandis.

EXorcizo te † creatura Olei in nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti; ut per hanc invocationem Individuæ Trinitatis, ac unius virtutem Deitatis, omnis nequissima virtus adversarij; omnis inveterata malitia Diaboli: omnis violenta incursio, omne confusum, & cæcum phantasma eradicetur, fugetur, & discedat ab hoc oleo, & omnis, qui ex eo biberit, & devote se unxerit, fiat sanus, ab omni maleficio

Dia-

Diabolico, ne possit illi nocere ulla nequitia malignorum spirituum.

Dignare Domine hoc oleum benedicere, † & sanctificare † pro tuâ pietate, ut quicunq; ex eo biberit, vel se unxerit, unctus sit dolore pœn tentis, & ab eo eradicentur facturæ, maleficia, incantationes, tumores, dolores, & ligationes quomodolibet factæ, contra creaturas Dei: sit destructio omnium operum Sathanæ. In nomine S. Ubaldi benedico, † & † sanctifico olei hujus liquorem ad obsessos liberandos: ad restituendam febricitantibus valetudinem, ægrotantibus sanitatem, ad extinguenda venena, tumores & dolores, ad restituendum conjugis amorem, ad depellendum adversa, & comprimendum noxia, & odium expellendum, & quicunque eo utetur, ab omni languore, & infirmitate sanetur, à cunctis insidiis inimici liberetur. Multiplica, O æterne Deus benedictiones tuas super hoc oleum sicut stellas cœli; quia Ego N. Sacerdos per Iesum

Christum benedico † sanctifico † hujus olei benedicti liquorem; destruo omnia maleficia, languores, & dolores, & vexationes Diabolicas, & fugo ipsos Dæmones, In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † Sancti Amen.

Benedictio Panis, vel tritici, vel farinæ, vel leguminis, mutatis mutandis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

PEto, ô Domine Iesu Christe, ut benedicas † panem hunc, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut sit sumentibus salus mentis, & corporis, atque contra morbos & universas insidias Diaboli. Nam ego N. Sacerdos tuus, in nomine tuo hunc panem benedico † sanctifico, † & exorcizo † sicut Elias benedixit farinam in hydriâ viduæ, & fecit subcineritium panem benedictum Eliæ, qui ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb: sic

hunc

hunc panem in nomie tuo benedico, & ſanctifico † creaturæ tuæ trado, ut accipiat, & comedat ad eradicandum à corpore ſuo omne maleficium, incantationem, ligamen, ſignum, & opus Diabolicum, & ipſos Dæmones, omnemque febrim, & qualemcunque ægritudinem O Domine Ieſu Chriſte, qui es panis natus in Bethlehem, Panis vitæ, benedic, † & ſanctifica † eum, & ego per ſanctum nomen tuum, & S. Ubaldi eum benedico, † & ſanctifico, † ac per ipſum ſanctũ nomen tuum terribile, deſtruo omnia maleficia, & per ipſum ſanctum nomen tuum, ô Domine Ieſu hunc panem benedico, † & ſanctifico, & virtutem tui ſanctiſſimi nominis infundo, ut ſit contra omnes vexationes Diabolicas. Benedico hunc panem, & ſanctifico: † & Dominus tecum ſit ô panis benedicte, ut extinguas venena, noxia comprimas, adverſa depellas, maleficia deſtruas. Dæmonia fuges ab hac creaturâ N. & à cunctis creaturis. OS.

Michael benedic † hunc panem per tuam ſanctam pietatem. O Sancta Maria ſanctifica hunc panem, ut qui comederint ex eo recipiant ſanitatem, & tuam ſanctam benedictionem. OS. Pater Ubalde infunde in hunc panem tuam ſanctam benedictionem, ut ſit ignis ardens contræ Dæmones, & deſtruas facturas, & omnia opera Sathanæ. Amen.

Benedicat, quæſumus Domine, S. Pater per amorem filij tui, virtus Spiritûs Sancti panem iſtum; & ita benedicat † inflammet, † & exorcizet: ut quicunque ex eo comederit, ſive guſtaverit in nomine tuo, & dilecti filij tui, & Spiritûs Sancti, ab omnibus operibus Sathanæ ſanetur. Da Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut, quod rogamus, & exoramus, obtineamus in nomine tuo, dilecti filij tui, & Spiritûs Sancti. Amen.

Benedictio Vini, & Aceti, mutatis mutandis.

EXorcizo te creatura vini, in nomine

ne Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti, ne sis communis ulli spiritui immundo ad honorem S. Mariæ, & Sancti Ubaldi, ut qui te devotè biberit & gustaverit, omnis spiritus immundus ab eo recedat cum facturis suis, itaque exorcizo † benedico † te creatura vini in nomine Iesu Christi, & S. Ubaldi, ut sis purgatio omnium maleficiorum. Dignare, ô S. Pater Ubalde, hoc vinum benedicere, † & sanctificare † ad liberandas, & sanandas creaturas Dei ab omnibus maleficijs, & Dæmonijs. O Domine Iesu Christe sicuti convertisti in Canâ Galilææ aquam in vinum; ita benedicere † exorcizare, & sanctificare † tuâ pietate digneris hoc vinum, ut sit remedium efficax contra omnem potestatem omnium inimicorũ nostrorum, & etiam contra omnes facturas, quæ factæ sunt, & factæ erunt, & nullus spiritus malus cujuscunque generis possit latere in hac creaturâ N. quæ gustaverit hoc vinum

benedictum. Peto Domine per tuam ſanctam paſſionem, & Crucem, ut qui biberit ex hoc vino benedicto, mundetur à ſpiritibus imundis, & ab omni maleficio: & omnis virtus Diaboli exterminetur, & poteſtas tua, Domine, in virtute verborum tuorum prævaleat. O Domine infunde tuam ſanctam benedictionem † in hoc vino, ut alligata ſint vulnera Sathanæ: & ego benedico † hoc vinum, † & ſanctifico † in nomine ſancto tuo, ut vulpes infernales demolientes hanc vineam tuam ponentes eam in deſertum, unà cum operibus ſuis, maleficijs, & facturis deſtruantur, confringantur, & annihilentur. Succurre ergo Domine, & benedic, † & ſanctifica † hoc vinum, ut ſit vinum gratiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, fervoris, & amoris ad ſanandas tuas creaturas ex eo guſtãtes, bibentes, corpus reficiat, & corroboret, intellectum clarificet, cor lætificet, dolorem, & triſtitiam quamcunque expellat, maleficia cuncta deſtruat, & anni-

annihilet, à creaturis tuis ex eo bibentibus, per Christum Dominum nostrum, Amen.

† Benedico † hoc vinum, & sanctifico, † ut sit tanquam vinum, quod Christus dat suis devotis in convivio suo spirituali. Adhuc Bone Iesu dic verbum, & benedic, † & sanctifica † hoc vinum. Tandem benedico † illud, & per hoc sanctum vinum destruo omnia maleficia, & fugo Dæmones per eum, qui torcular calcavit solus. Amen.

Benedictio prandij, & cœnæ præsente vexato à spiritibus, vel facturis.

℣. Adjutorium nostrum nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

IN nomine D. N. Iesu Christi, Ego N. Sacerdos Dei † benedico, atque exorcizo † vo creaturæ panis, & vini, carnis, fructûs, cujuscumque comestibilis, per illum, qui benedixit panes in deserto, & multiplicavit. Et per illum, qui a-

quam in vinum convertit, & qui manna patribus dedit in deserto omne delectamentum in se habens: ut sitis fortitudo, & sanitas, & purificatio huic, & omnibus creaturis Dei sumentibus, ad effugandos omnes spiritus immundos, omnemque nefariam vim Diaboli, & facturas suas, & figuras omnes, & minas Sathanæ exterminandas, per eum, qui venturus est, judicare vivos &c. Purificare, ô Domine Iesu Christe, bene † dicere, & sanctificare † digneris has creaturas cibi, & potûs, quas Ego N. Sacerdos tuus in tuo nomine, & S. Udaldi servi tui benedico, † purifico, & sanctifico, † & quicunque comederit, vel biberit ex eis per dilectionem B. M. V. & S. Ubaldi, & omnium Sanctorum, bibat, & comedat coram Domino cum omni lætitiâ, & sint contra maleficia & insidias Diaboli, quæ maleficia per hæc potabilia, & comestibilia destruo, & annihilo, & etiam fugo Dæmones, & omnia Diabolica in nomine Iesu confringo, & era-

& eradico, & eijcio à corporibus humanis. O creatura Dei, tolle has creaturas cibi, & potûs, quas misit tibi Deus, & quas Ego N. Sacerdos Dei exorcizo, † purifico, † benedico, & sanctifico † in nomine sancto ejus, & S. Mariæ Virginis, & S. Patris Ubaldi. Requiesce ergo, & comede, & bibe: & in nomine Iesu recedatà te Sathan, cum omnibus suis facturis. In nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Benedictio incensi, vel storacis, vel sulphuris, vel omnium odorabilium, vel aromatum, mutatis tamen mutandis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

EXorcizo te † creatura incensi, vel storacis, vel sulphuris per Deum vivum † per Deum verum † per Deum sanctum, † & per S. Ubaldum flagellum inferni, & per eum, qui omnia ex nihi-

Io creavit, & expulit pravos Angelos de cœlo ad ista inferiora, & per omnia nomina Dei, & per nomen B. V. & S. Ubaldi te conjuro, † & exorcizo, ô creatura incensi, storacis, vel sulphuris, & per omnia supradicta, ut sis in defensionem nostram, & efficiaris fumigatio, & creatura benedicta, † & consecrata, † & perpetua pœna sis omnibus malignis spiritibus Infernalibus, & sis solutio omnium ligaminum: Domine Iesu benedicere, † & sanctificare, † digneris, per tuam clementiam, & pietatem hanc creaturam incensi, vel storacis, ut sit defensio contra omnes spiritus malignos, & compulsio facturarum, in quem locum odor hujus incensi venerit, sive adfuerit, nullus spiritus, nulla incantatio, & nullum maleficium, vel factura, & nulla molestia malignorum possit durare, neque stare modo aliquo; sed statim omnia Diabolica fugiant procul per signum † S. Crucis. Amen.

† Be-

† Benedic Domine hanc creaturam incensi, vel storacis ad effugandos Dæmones, & omnia aspera sua, per servum tuum Ubaldum, cui dedisti virtutem ad effugandos Dæmones: nam Ego N. Sacerdos benedico † te creatura incensi, vel storacis, & sanctifico, per eum, quem Cœlum & Cœli Cœlorum capere non possunt, & in odore hujus incensi, vel storacis, benedicatur domus, locus, cubiculum, ita ut nullus spiritus possit stare, ubicumque fuerit hic odor, sed fugiat confusus, & domum, locum, cubiculum, ubi fuerit talis odor, benedico, † & sanctifico, & benedictionibus cælestibus repleo: & sic domus, & locus, & cubiculum Dei sit palatium Christi, sit habitaculum Spiritûs Sancti, & quisquis fumigatus fuerit his rebus benedictis, benedicatur, & sanctificetur. Te humiliter precor, Domine Iesu Christe, ut hanc creaturam incensi, storacis, & sulphuris, quam in nomine tuo purifico, † benedico, † & sanctifico † tuâ sanctâ virtute dig-

te digneris corroborare, & odore hujus fugiant Dæmones, cum omnibus ſuis facturis, & armis in nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Benedictio Medicinæ, vel Unctionis, vel Balnei, vel Brodei medicati &c. mutatis mutandis vocibus.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Oremus.

QUæſumus clementiam tuam æterne Deus, ut hanc Medicinam (vel Unctionem, vel Balneum, vel Brodeum &c.) ad expellendas omnes ægritudines, & fugandas diabolicas virtutes, & maleficorum infeſtationes, imò & ipſos dæmones à corporibus humanis, quam in nomine ſancto tuo, & Sancti N. bene † dico, & ſancti † fico, ſic tu omnipotens, & clementiſſime Deus bene † dicere, & ſancti † ficare p ſſime Deus digneris, & in omni, qui eam biberit, extingue febrium infeſtatio-

ſtationes: viſcerum tormenta cura; cordis, & capitis dolores, & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates peccatoris remove, infeſtationes cunctas à quibuſvis partibus corporis reſolve: phantaſmaticis adeſto periculis, tumoreſque compeſce. Sit hæc Medicina expulſio præſentis morbi: & fugiant diaboli, cum omnibus ſuis ſocijs, facturis, & armis. Exorcizo te † creatura Medicinæ in nomine Iesu, ut virtutem naturalem retineas, ſupernaturalem recipias adjurata in nomine Chriſti. Bene†dic Domine hanc Medicinam, & virtus Spiritûs ſancti ſit ſuper eam ad evacuanda, & deſtruenda, annihilanda, & eradicanda à corpore humano maleficia cuncta cujuſcunq; generis ſint: & ſimul ad expellendum ipſum dæmonem.

Prout Ego N. Sacerdos tuus bene†dico, exor†cizo, & ſancti†fico, & benedictiones cunctæ ſervorum Dei ſint ſuper te ô Medicina, & ſis potens ad effugandos dæmones cum ſuis facturis, & armis dia-

diabolicis. Tandem benedictio Sancti N. sit super te, † in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Benedictio Thori.

DOmine Sancte Pater, qui castigando nos salvas, deprecor Majestatem tuam super hunc lectum, super hanc domum, & super omnia, quæ sunt in eâ, & super plumas. Quæ omnia benedico † purifico, exorcizo, atque sanctifico, per nomen sanctum tuum, & servi tui Ubaldi, quem deprecor, ut sit in nostro auxilio, & omnium creaturarum: sic, & tu Domine benedicere, † & sanctificare digneris hunc lectum, domum, & omnia, quæ sunt in eâ, & plumas suas, ut quisquis, & hæc præcipuè hæc creatura N. super has plumas, & lectum prostrata fuerit, dormiat, & tuam sanctam benedictionem recipiat, & dormiat, & secura quiescat, imò omnis spiritus immundus, omne phantasma, omne maleficium, vel factura, ligatura, signatura, & omne opus quomodolibet Diabolicum, in lectum,

ctum, vel plumas has, vel domum factum deſtruatur, annihiletur, exterminetur, diſſipetur, expellatur, elongetur, quantum eſt elongatum Cœlum à terrâ, lux à tenebris, nec ampliùs revertatur, & Ego N. Sacerdos Dei deſtruo, & extirpo, & annihilo, ut non revertatur, & ſpiritus maledicti thorum, domum, tuas creaturas violare volentes, contero, & diſperdo, & tandem Domine multiplica tuas ſanctas benedictiones ſuper lectum, & has plumas, & domum, & ſuper creaturas, quæ habitant in eâ, nam ego omnia benedico, † ſanctifico, † Sacerdotali auctoritate, † quâ fungor, in nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ, & ponat Sacerdos incenſum ſuper ignem benedictum: ut fumigetur domus, vel cubiculum, vel lectus. Et ponatur in lecto Cera, Agnus Dei, Oliva palmarum benedicta cum Sale exorcizato, & incenſo Cerei, cum auro, & mirrhâ.

Bene-

Benedictio vestimentorum, vel indumentorum lecti, vel similium, mutatis mutandis.

EXorcizo vos creaturæ diversæ indumentorum, per eum, qui vos paravit ad ornamentum generis humani, ut sitis indumenta benedicta † pura, † munda † ab omni virtute Diaboli, & ministrorum ejus, & ab omnibus facturis & maleficijs, cujuscunque generis sint: & vires Diaboli retinere non possitis; sed sitis in nomine Divi Ubaldi indumenta pura, † benedicta † & sanctificata † quæsumus Domine, ut hæc indumenta purificare, † benedicere, † & sanctificare † digneris, nam Ego Sacerdos tuus hæc indumenta in tuo nomine, & Divi Ubaldi, benedico, † purifico, † & sanctifico † concede Domine, ut, qui ea portaverit, & induerit, cælestis gratiæ, & benedictionis plenitudinem valeat accipere; ut ab omnibus Dæmonibus, & facturis sit liber, & defensus. In nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † sancti, Amen.

Benedictio herbarum, vel rosæ, vel rutæ, vel absynthij, vel similium, mutatis mutandis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui dixisti, germinet terra herbam virentem, & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum, juxta genus suum: sic propter nomen sanctum tuum magnum, & glorificatum in terrâ, & in cœlo; pone dexteram tuam plenam largâ benedictione super has herbas, vel rosas, & reple eas cunctis benedictionibus, prout Ego N. Sacerdos tuus, in tuo sancto nomine Thetragrammaton, & servi tui Ubaldi, eas exorcizo, † benedico, † & sanctifico, ut ubicunque collocatæ fuerint, sive in do-

domibus, ſive in lectis, vel cubiculis, vel ſuper ſe habuerit obſeſſus, vel odoraverit, vel ſi quis fuerit ex his fumigatus, vel in balneo lotus, vel in quibuſcunque locis fuerint, per omnipotentiam tuam, & paſſionem Filij tui, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, elongetur ab eis omne malum, omne periculum, omnes virtutes, & opera Satanæ. Ideo per eum, qui dat herbam ſervituti hominum, has herbas, N. N. benedico, † & ſanctifico † ad fugandos Dæmones, ad deſtruendum omne maleficium, & ad annihilandum incantamentum, ligamen, facturas, & omnia opera Satanæ à corporibus hominum, & quibuſvis locis omne opus Diaboli factum, vel faciendum, ita ut ibi nulla habitatio, nulla virtus Diaboli ſit in his herbis, ſed in nomine Ieſu, & S. Ubaldi quorum nomen, & virtutem invoco ſuper has herbas, vel roſas, recedant confuſi maledicti; & vadant in barathrum cum omnibus operibus ſuis hæreticalibus, & inhabitent Sancti Angeli Dei, ut

reci-

recipiant ſanctitatem, in nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs † ſancti, Amen.

Benedictio Ignis.

BEnedico te † creatura ignis, atque ſanctifico per eum, qui te creavit, qui famulo ſuo Moyſi apparuit in igne formâ Rubi. Benedico te, † & exorcizo, † atque conjuro † te, ô creatura ignis, per eum, qui fecit orbem tremere, & omnia poteſt, ut adversùs Infernales prædones ſis mihi adjutorium, eos in nomine Ieſu, & S. Ubaldi affligas, excrucies, & exuras ignis gehenna ſulphurea. Sic tu Domine benedicere, † & ſanctificare † digneris hanc creaturam tuam ignis: ut ſit ignis ardens Dæmones, & omnia opera ſua: & maleficia, cujuſcunque generis ſint, comburat, deſtruat, & annihilet, quæ facta ſunt, & facta erunt, quæ omnia in nomine tuo, Domine deſtruo, & annihilo ſemper. Obſecramus humiliter tuam omnipotentem pietatem, ut huic creaturæ ignis eam virtutem conferre, tuâ benignitate digneris, quæ malignis ſpiriti-

ritibus non solùm infernalem pœnarum, amaram recordationem efficiat: verùm etiam eos pro eorum in te, & in nos ministros tuos contumaciâ, excruciet, exterminet, & expellat, & sic benedicto † sanctifico † hanc creaturam ignis, in nomine Patris, † & Filij † & Spiritûs † sancti, Amen.

Quando benedicetur domus, accendatur una Candela benedicta, & Crux antecedat.

Benedictio domûs, vel loci.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantâm gratiam contulisti: ut, quicquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab his agatur à te fieri credatur. Quæsumus immensam clementiam tuam, ut, quòd modò visitaturi sumus, visites: quicquid benedicturi, benedicas, † & ad ea, quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentiæ exten-

tendas, fiatque ad noſtræ humilitatis ingreſſum, & introitum, Sanctorum tuorum meritis fuga Dæmonum, Angeli pacis ingreſſus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

DOmine Sancte Pater, per merita S. Ubaldi Epiſcopi, benedic domum iſtam † Benedic introitum noſtrum † Benedic ingreſſus pedum noſtrum, ſicut dignatus es domũ patrum noſtrorum Abraham, Iſaac, & Iacob, benedicere † ô Domine Ieſu Chriſte quæſumus, qui Diſcipulis tuis dixiſti, in quãcunque domum intraveritis, ſalutate eam dicentes, pax huic domui; veniat pax illa ſuper domum iſtam, & ſuper omnes famulos & famulas tuas. & eos Domine ab omni infirmitate eripere, & liberare digneris: & repleas centeſimo fructu vini, & olei, & frumenti, & in futurum illis æternam concede gloriam. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedic Domine domum iſtam, & lo-

locum istum, cum ædificijs suis: & sit ibi sanitas, sanctitas, virtus, & gloria, atque humilitas, bonitas, & mansuetudo, lenitas, & plenitudo legis, obedientiaque Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Hæc bene † dictio sit super domum istam, & super locum istum, & super omnes habitantes in eo, per Christum Dominum nostrum Amen.

† Sancti Angeli Dei descendant in hanc domum & eam defendant, & protegant ab omnibus Dæmonibus, & facturis, per pietatem Dei semper, Amen.

Conserva Domine domum istam in æternum impollutam, quam à spiritibus immundis flagellantibus nunc mundo † purgo † & benedico, † & sanctifico, egrediatur fons de domo tuâ Domine super domum istam, ut irrigetur misericordiâ tuâ, & dic Angelo percutienti: cesset jam manus tua: appareat majestas tua, & sanctificet † hoc habitaculum. Sancta Maria Virgo invoco nomen tuum super hanc domum, & locum: benedic

nedic eum; quia tu es mater misericordiæ, & consolatrix afflictorum: S. Pater Ubalde exurge, & per passionem Iesu Christi benedic, † & sanctifica † hanc domum: & locum istum, ut Dæmones, & eorum maleficia non possint latere, neque stare in hac domo, vel loco, nam Ego N. Sacerdos Dei, & servus tuus, in tuo nomine destruo, † & annihilo † facturas, & omnia maleficia facta, vel fienda in hac domo, vel loco, & benedico, † & sanctifico † hanc domum, & locum; ut Dæmones, & facturæ non possint stare, nec durare, sed nunc omnia destruantur, & deficiant.

In nomine Patris † & Filij, † & Spiritûs † Sancti. Amen

Peto Domine, per tuam bonitatem, ut hæc domus, & locus sit benedictus † à tuâ sanctâ dexterâ; ut sit ignis ardens Dæmonibus, ut semper fugiant confusi; nec ullo modo possint stare, nec latere vel die, vel nocte, & omnes habitantes securi sint, & quiescant in suâ

pace, sine turbatione, vel strepitu & sine aliquo nocumento diabolico, sed tua benedictio sit semper super hanc domum & locum istum, & super omnes habitantes in eo. Amen.

Pax, & Benedictio Sanctissimæ Trinitatis, & S. Ubaldi descendat super domum hanc. Amen.

Et habitantes in hac domo per nomen Iesu possint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, orare, & alia naturalia agere liberè, & exercere. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio Crucis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Dñi.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

BEnedic Domine quæso hanc Crucem, per quam eripuisti mundum à potestate Dæmonum. Sanctifica Domine istud signaculum Passionis tuæ; ut sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus in te auxilium perpetuum, in quocunque loco fuerit collocatum, nulla sit habitatio dæmonum: sed fugiant confusi

ſi, elongentur ab ipſo loco, & habi-
tantibus in eo, quantum elongatum eſt
cœlum à terrâ: ſed habitent Angeli San-
cti fortiſſimi locum, & habitatores pro-
tegentes. Qui vivis, & regnas in ſæcu-
la ſæculorum. Amen.

Benedictio Candelæ.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Do-
mini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte Fili Dei vivi,
Benedic † candelas iſtas, ſupplica-
tionibus noſtris: infunde eis Domine,
per virtutem Sanctæ Cru † cis benedi-
ctionem cœleſtem, qui eas ad repellen-
das tenebras humano generi tribuiſti:
talem benedictionem ſignaculo Sanctæ
cru † cis accipiant, ut quibuſcunque in
locis incenſæ, ſive poſitæ fuerint, diſce-
dant principes tenebrarum, & contre-
miſcant, & fugiant pavidi, cum omni-

bus miniſtris ſuis, & facturis, ab habitantibus in illis, nec præſumant ampliùs inquietare, vel moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Annuli.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

BEnedic, quæſumus Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine, & S. Ubalbi, benedicimus † ut, qui eum portaverit, in tuâ pace quieſcat, & in tuâ voluntate permaneat & in amore tuo vivat, & multiplicetur in longitudine dierum. Per Chriſtum Dñm noſtrum

Oremus.

CReator, & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, conditor æternæ ſalutis, tu Domine emittere digneris Spiritum Sanctum tuum Paraclytum de cælis; & tuam ſanctam benedictionem ſuper annulum hunc, ut ſit armatura potens contra omnes virtu-

ce

tes Diabolicas, & ego in tuo nomine eum benedico, † & sanctifico † in nomine Patris, † & Filij, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Benedictio Coronæ.

℣. Adjutorium &c. ℟. Qui fecit &c.

OMnipotens, & misericors Deus, qui propter nimiam charitatem tuam, quâ dilexisti nos, filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, pro redemptione nostrâ de cœlis in terram descendere, & de Beatissimæ Virginis Mariæ utero, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti; ut nos eriperes de potestate Diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc Coronam in honorem, & laudem, ejusdem Genitricis Filij tui ab Ecclesiâ tuâ fideli dicatam benedicas, † & sanctifices, eique tantam infundas virtutem Spiritûs Sancti, ut quicunque eam portaverit, vel dixerit, aut in domo reverenter tenuerit, ab omni hoste, & facturis, semper, & ubique in hoc sæculo liberetur:

tur: & in exitu ſuo à Beatiſſimâ Virgine, & S. Ubaldo tibi plenus bonis operibus præſentari mereatur. Per eundem Dominum noſtrum. Amen.

Benedictio Domûs à Dæmone, & malis Spiritibus vexatæ.

Sacerdos indutus ſuperpellicio, & ſtolâ, dicit. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs † ſancti, Amen. *Deinde flexis genibus, Hymnum,* Veni Creator Spiritus, &c.

℣. Exurge Chriſte adjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟ Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœp

cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

RESpice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium & Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs &c. ℟. Amen.

Oremus.

DEfende, quæsumus Domine, Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidijs. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contuliſti, ut quicquid in nomine tuo dignè, perfectequè ab eis agitur, à te fieri credatur; quæsumus immensam clementiam tuam, ut, quod modo visitaturi sumus, vi-

ſites, & quicquid benedicturi, benedicas † & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas, ſintque ad noſtræ humilitatis introitum (Sanctorum tuorum meritis) fuga dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum & omnium bene viventium, Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te invoco, & nomen ſanctum tuum, ac præclaræ Majeſtatis tuæ clementiam ſupplex depoſco, ut mihi auxilium præſtare digneris adversùs nequiſſimum Spiritum; ut ubicunque ſit, audito nomine tuo velociter exeat, & recedat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

ADJURATIO.

ADjuro te ſerpens antique, per judicem vivorum & mortuorum, per fa-

ctorem mundi, qui habet potestatem mittere te in gehennam, ut ab hac domo festinus discedas.

Ipse tibi imperat maledicte Diabole, qui ventis ac mari & tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum abire præcepit. Audi ergo Sathana, & time, & victus, & prostratus recede, adjuratus in nomine Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Deinde Sacerdos incipiet quindecim Psalmos Graduales, qui sunt inter alios Psalmos magis propry ad hanc materiam: legendoque aspergat aquâ benedictâ domûs loca, illa potissimùm, ubi sit major infestatio, ac primùm inferiorem partem domûs, mox neatque assistentes, ut preces suas cum ipsius conjungant.

Finitis quinque primis Psalmis dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium, perpetuam tibi conſtrue manſionem: & præſta, ut in hac domo nulla malignorum Spirituum dominetur nequitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde dicuntur alij quinque Pſalmi, etiam aſpergendo loca domûs.

Quibus finitis dicitur. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris; adeſto ſupplicationibus noſtris, ut hujus domûs ſis protector, & nulla hîc nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat: ſed (virtute Spiritûs ſancti & operatione) fiat tibi hîc purum ſervitium, & devota libertas exiſtat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea dicantur alij quinque pſalmi graduales, aſpergendo, ut ſupra loca domûs aquâ benedictâ.

Quibus finitis dicit. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas intentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ, cuſtos & protector aſſiſtis, exau-

di nos quæſumus; ut inviolabilis hujus domûs permaneat bene † dictio: & beneficia tui muneris, univerſitas, quæ ſupplicat, mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea in principali loco domûs legat ſequens Evangelium.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia ſancti Evangelij ſecundùm Lucam. *Cap. 19.*

IN illo tempore: Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic erat princeps Publicanorum, & ipſe dives. Et quærebat videre Ieſum, quis eſſet: & non poterat præ turbâ, quia ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut vidèret eum: quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quiâ hodie in domo tuâ oportet me manere. Et feſtinans deſcendit; & excepit illum gaudens.

Et

Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat. ℣. Laus tibi Christe.

Deinde benedicitur incensum hoc modo. Per interceſſionem Beati Michaëlis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium Electorum ſuorum incenſum iſtud dignetur Dominus bene † dicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea Sacerdos ponat incenſum ſuper ignem, & incenſet domum, dicens. Incenſum iſtud à te benedictum, aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

VIſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab eâ longè repelle: Angeli tui Sancti habitent in eâ, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. ℟. Amen.

Poſtea domum & habitatores ejus benedicat dicens: Benedictio Dei Omnipotentis Pat†ris, & Fi†lij, & Spiritûs † Sancti, deſcendat ſuper hanc domum & omnes habitantes in eâ, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Benedictio Aquæ, cum Reliquijs SS. Vitalis & Marcelli Mart.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus

DEus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in Aquarum ſubſtantiâ condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic Aquæ, quam SS. Vitalis & Marcelli Martyrum tuorum virtute † conſignamus, virtutem tuæ Bene † dictionis infunde, ut per merita & interceſſionem eorundem Martyrum tuorum ſit fidelibus tuis in remedium ſalutare, dæmonum malitias & inſidias, morbos & infirmitates corporis & animæ ab eis repellens: & præſta, ut quicunque eam ſumpſerint, vel eâ aſperſi fuerint, ab omni adverſitate animæ & corporis liberentur, & utriuſque recipiant ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen,

Oremus.

IMmenſam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut fideles tuos, ad Reliquias SS. Vitalis & Marcelli Martyrum tuorum devotè accedentes, & eorum ſuffragia poſtu-

postulantes, tuâ ineffabili virtute benedicere digneris: ut per merita & intercessionem eorundem Martyrum tuorum (vel Sancti N.) ab omni ægritudine mentis & corporis liberati, tuque hîc, & ubique misericordiâ custoditi, ad æterna gaudia mereantur pervenire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur communi aquâ benedictâ.

NB. *Hæc Benedictio potest fieri etiam cum Reliquijs alterius cujuscvis Sancti, mutato nomine.*

Benedictio Pulveris tormentarij, seu jaculatorij. Item Globorum plumbeorum, vel ferreorum conjunctim, vel divisim seu sorsim, cum Exorcismo.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Exorciſmus.

EXorcizo vos creaturas Pulveris Tormentarij (Globorum plumbeorum, & ferreorum) per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, & per Sanctiſſimam Trinitatem, Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † Sanctum: Et per Deum, qui omnia creavit ex nihilo: qui rebelles Angelos de cœlo ad inferos præcipitavit. & per Ieſum Chriſtum Filium ejus, Dominum noſtrum, qui daturus eſt prædeſtinatis feliciter regnum æternum, & reprobis damnationem; & per omnia Nomina Sancta Dei, vos conjuro, & exorcizo, † & per omnia modò dicta, ut ſint in defenſionem noſtram, & Eccleſiæ Chriſti, ac in diſſolutionem omnium præſtigiorum, maleficiorum, & ſuperſtitioſarum illuſionum corporis humani: ita ut nihil impedire valeant, quò minùs per has creaturas Dei, inimici noſtri, & Catholicæ fidei hoſtes offendi, penetrari, & ſupe-

ſuperari valeant. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

INeffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut ſicut Tu es Vnus in eſſentiâ, & Trinus in Perſonis, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; ita per eandem immenſam clementiam, & pietatem tuam, Benedicere digneris has tuas creaturas Pulveris tormentarij (Globorum plumbeorum, & ferreorum &c.) ut ſint omnibus Chriſtianis fidelibus ad defenſionem, juſtis ea uſurpantibus protectio, & defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, incantationes, præſtigia, & maleficia: ſintque perpetua malignorum Spirituum, & maleficiorum expulſio, annihilatio, eorumque ac omnium præſtigiorum, ac ſuperſtitioſarum illuſionum diſſolutio & diſſipatio: ut quemcunque locum corporis humani, ac hoſtilis tetigerint, nulla Spirituum malignorum

norum poteſtas eorum vim tetundere, vel debilitare poſſit, quò minùs pro Fidei Catholicæ, ac fidelium ſervorum tuorum defenſione, vel propugnatione, iniquorum hoſtium cuneos penetrare, & ſuperare poſſit: idque benigniſſime Deus pro tuâ miſericordiâ præſtare digneris, Per virtutem Sanctiſſimæ Cru † cis Domini ac Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ, dicendo.

In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs †Sancti. Amen.

NB. *Hæc benedictio adhiberi poteſt Gladijs, Sclopetis, Bombardis, &c. mutatis mutandis.*

Benedictio Sagittarum S. Sebaſtiani, vel aliorum Signorum alicujus Fraternitatis, vel Sancti.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Sit

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, largitor bonorum omnium, salus & vita nostra, te supplices exoramus & petimus, ut has Sagittas (*vel* hæc Signa &c.) quibus Domini & Redemptoris nostri, in Cruce pro nobis pendentis signum, & imago intemeratæ V. Deiparæ Mariæ, & S. Sebastiani Mart. (*vel alterius Sancti*) impressa est, bene† dicere, & sancti† ficare digneris; ut qui has secum devotè gestaverint, vel domi asservaverint, per merita sanctissimæ M. Mariæ, & per intercessionem S. Sebastiani (*vel aliorum Sanctorum*) ab omni pestiferâ lue, ab omni morbo contagioso, & ab omnibus inimicorum insidijs præserventur, corporis & animæ sanitatem continuam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Chri-

Christum Filium tuum, verum animarum nostrarum, corporumque Medicum. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus, & Remedium præservativum contra Dæmones, & Spectra, quæ infestant, & vexant homines, vel Iumenta, vel domos, &c. ex Flagello Dæmon. Mengij.

Accipe chartam, eamque exorciza, & benedic hac formulâ.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Exorcismus Charta.

EXor†cizo, & conjuro te Charta, per titulum Domini nostri Salvatoris (IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM) & per omnia verba & nomina, quæ de Creatore omnium creaturarum dicuntur: Et per eum, qui tribuere, & facere potest, ut omnia, quæ in se scri-

ſcribentur, ad effectum ſalutis æternæ perducere valeas, & ut omnis fallacia, & virtus diaboli exeat de te, & intret in te omnis virtus prædicta, ſine morâ; In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs †ſancti. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ: & in ea ſcribantur ſequentia verba in modum Crucis.

I. N. †R. I. QUI VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis, naſcens ex MARIA Virgine, per ineffabilem pietatem, & miſericordiam ſuam piiſſimam: & per interceſſionem B. Virginis Mariæ, Angelorum, Sanctorumque omnium, & maximè Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, & Sancti N. Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Viduarum: Ipſum quæſo, ut dignetur me liberare, & conſervare ab omni infeſtatione Satanæ, & miniſtrorum ejus. Per eúndem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, vivit, & regnat, &c. Amen.

Dein-

Deinde accipiatur Sal exorcizatum, & benedictum, item modicum Cera de Cereo Paschali vel alterius benedictæ, & Ruta benedicta, ac omnia aspersa per aquam benedictam, ponantur in prædictâ Chartâ, benedicta complicata, & suspendatur, in collo patientis, vel in loco vexato & infesto; Et Dei gratiâ conservabitur.

Benedictio Armorum in communi, ex Pontif. ponuntur super mensam, vel Altare, vel ab aliquo tenentur.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SIgnaculum, & Benedictio Dei Omnipotentis, Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs †Sancti, descendat super hæc arma, & super induentem, quibus ad tuendam justitiam induatur: Rogamus te Domine Deus, ut illum protegas, & de-

defendas. Qui vivis, & regnas Deus, Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Oremus.

DEus Omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit: quique etiam David, ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuisti; clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almificâ pietate benedicere digneris, & concede famulis tuis (vel famulo tuo) eadem gestare cupienti, ut ad munimen, ac defensionem sanctæ Matris Ecclesiæ, pupillorũ & viduarum, contra visibilium & invisibilium & hostium impugnationem, ipsis liberè & victoriosè utantur. Per Christum &c. Amen.

Benedictio Animalium in Peste.

℣ Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

MIsericordiam tuam Domine, supplices

plices exoramus, ut hæc animalia; quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ bene † dictionis virtute ſanentur. Extinguatur in eis omnis Diaboli poteſtas, ne ulteriùs ægrotent: tu eis Domine ſis defenſaculum vitæ, & remedium ſanitatis, S. N. defende, & libera ab his infirmitatibus hæc animalia, per tua ſancta merita, & per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Benedictio Animalium, vel Iumentorum, non infirmorum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

MIſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut hæc jumenta & animalia, in nomine tuo, Bone † dictionis tuæ virtute, & ab omni diabolicâ fraude, & poteſtate, & à quocunque morbo conſer-

vare digneris. Tu eis Domine, ſis defenſio, & ſubſidium vitæ, & remedium ſanitatis, & multiplica ea tuæ miſericordiæ benignitate, ut honorificetur nomen ſanctum tuum in ſæcula. Amen.

Oremus.

EXaudi nos, Sancte Pater, Omnipotens, æterne Deus, ut ſicut domos Hebræorum, in exitu de Ægypto, Agni ſanguine conſperſas ab Angelo percutiente cuſtodiſti: ita mittere digneri Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, protegat, atq; defendat jumenta & Pecora iſta ab igne, & infirmitate, à tempeſtate, & ab irâ venturâ, à rapacibus, à latronibus, à beſtijs vaſtantibus, à ſcabie, à morbis, & morſibus, à laqueis, à diabolo, & miniſtris ejus, ab inſidijs inimicorum omnium viſibilium & inviſibilium, ab invidiâ & malitiâ perverſorum hominũ, à malis oculis, & maleficijs, à veneficijs, & ab omnibus diabolicis fraudibus, quocunque modo factis, vel procuratis; ut laudetur, & magnificetur nomen ſanctum

cum tuum, & glorioſum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c. Amen.

Benedictio Alpium, Camporum, Pratorum, Paſcuorum, &c. pro Pecoribus.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Pietatem tuam, omnipotens Deus, humiliter imploramus, ut hos Campos (vel Alpes, vel Prata, vel Paſcua &c.) quæ aeris temperamento nutrire dignatus es, tuæ Bene†dictionis imbre perfundere digneris, tribuens populo tuo, de tuis muneribus, tibi ſemper gratias agere, & pulsâ ſterilitate terræ, eſurientium animos, bonis affluentibus replere, ut egeni & pauperes laudent nomen gloriæ tuæ in ſæcula. Amen.

Benedictio contra imminentem tempestatem tonitruorum, fulgurum, grandinum, ventorum, &c.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui fecisti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, quique flumini Iordani benedixisti, & tuas sanctissimas manus, & brachia sacratissima in Cruce † extendisti, quibus aërem sanctificâsti: obsecramus immensam pietatis, & bonitatis tuæ abundantiâ, quatenùs has nubes, quas ante me, & post me, & supra me, à dextris, & à sinistris video aërem perturbare, dissolvere & annihilare digneris, ut alligata potestas dæmonum impiè desævientium deficiat, & turbetur ad laudem tui Sanctissimi nominis, & potentissimæ Majestatis tuæ. Qui vivis, & regnas cum Deo Pa-

Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Poſteà converſus ad nubes, ſignet eas ſigno Crucis, dicens:

CIrcumdet te nubes, Deus Pa†ter, circumdet te Deus Fi†lius, circumdet te Deus Spiritus † ſanctus. Deſtruat te Deus Pa†ter, deſtruat te Deus Fi†lius, deſtruat te Deus Spiritus † ſanctus. Comprimat te Deus Pa†ter, comprimat te Deus Fi†lius, comprimat te Deus Spiritus † ſanctus: Amen.

Obſecratio.

SAnctus Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, Sanctus Ioannes Evangeliſta, qui Chriſti Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto removeri obtineant & depelli.

FINIS.

IN-

INDEX.

A.

Adjuratio daemonis. 24. 37. 104. 107. 150.

B.

Benedictiones.

Absynthij. 137.
Ace 124.
A *m.* 169.
a *lium in peste.* 166.
Animalium non infirmorum. 167.
Annuli. 146.
Aromatum. 129.
Arborum. 165.
Aqua. 97. *pro maleficiatis.* 113. *cum Reliquijs Sanctorum.* 157.
Balnei. 132.
Bombardarum. 161.
Brodei medicati. 132.
Butyri. 120.
Camporum. 169.
Candelarum. 145.
Caſei. 120.
Cana. 127.
Coronæ. 147.
Crucis. 144.

Domûs. 140. infestata à damone. 148.
Florum. 137.
Gladiorum. 161.
Globorum ferreorum &c. 158.
Herbarum. 137.
Ignis. 139.
Incensi. 129.
Lardi. 120.
Leguminis. 122.
Loci cujuscunque. 140.
Maleficiata persona. 94.
Medicina. 132.
Odorabilium. 129.
Olei. 101. 120.
Panis. 122.
Prandij. 127.
Pulveris tormentarij. 158.
Rosa. Ruta, &c. 137.
Sagittarum S. Sebastiani. 161.
Salis. 97.
Sclopetorum. 161.
Signorum alicujus Sancti. ibid.
Storacis, Sulphuris, &c. 129.
Tapetum omnigenarum. 136.
Tempestatis. 170.

Tori.

Iori. 134.
Tritici. 122.
Vini. 124.
Unctionis Chyrurg. vel medicæ. 132.

C.

Cæremoniæ in exorciſmis uſurpandæ. 1.2.4.5.6. 24. 64. 70. 77. 86.
Conjurationes. 26.29.31.40.45.55.66.76.104.

E.

Exorciſmi ſuper aquam. 99.113.
Maleficiatam perſonam. 21. 23. 72. 81. 89. per invocationem Dei. 1. 42. B. Mariæ Virginis. 66. SS. Angelorum. 76. Sanctorum. 85. ſuper Oleum. 109. 111. Pulverem tormentarium, &c. 159. Salem. 97.
Evangelia varia. 6. 8. 70. 79. 88. 106. 154.

L.

Litaniæ de B. Maria Virg. 66.
Omnibus Sanctis. 10.

P.

Præceptum dæmoni imponendum. 96.
Præſervativum contra dæmones & ſpectra. 163.